VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
29 A
14

M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

43
d
46

14 - 31 a 17

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DEVS ET REX

Siue

DIALOGVS,

IN QVO AGITVR DE FIdelitate Sereniſſimo Domino noſtro IACOBO Regi in regnis ſuis præſtanda; Qua (ſublatis controuerſijs & turbarum ſuſpicionumque cauſis omnibus) ſubditi inſolubili amoris & obedientiæ vinculo Regi ſuo aſtringantur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

COLONIAE
SVMPTIBVS AVTHORIS.
ANNO M.DC.XIX.

[redacted]

LECTORI.

PRior Dialogus editus ſub eadẽ hac inſcriptione DEVS & REX, interlocutori[redacted] Theodidacto & Philalethe [redacted], ſcilicet, (vt nomen ſignificat) Diuinitùs edocto: altero Amatore veritatis, explicatione indigebat in multis, quæ tum ad ipſam veritatẽ, tum ad Regiam authoritatẽ, atq; ad Reip. incolumitatem ſpectabant. Quare alijs in præſenti interlocutoribus vti viſum eſt, Ariſtobulo nimirum, qui rectè conſulat, & Philanacte, qui amatorem Regiæ dignitatis ſignificat: quòd hic optimè Regi conſultum velit, ille optima ſuggerat: His paucis (Lector) perſonarum & vtriuſque Dialogi ſcopum habes.

Vale.

[redacted]

DEVS

DEVS ET REX,

Siue

DIALOGVS,

IN QVO AGITVR DE FIdelitate Sereniſsimo Domino noſtro IACOBO *Regi in regnis ſuis inuiolatè debitâ; quâ (ſublatis controuerſiis & turbarum ſuſpicionumq; cauſis omnibus) ſubditi inſolubili amoris & obedientiæ vinculo Regi ſuo aſtringuntur.*

Philanax.

SALVE mi Ariſtobule: Quid hoc turbarum eſt, quod frōte præfers: Nam & vultus ille tuus, & geſtus, quem intueor, animum plus ſatis occupatum indicant. Licet ne iſtius ſolicitudinis cauſam ſciſcitari?

Ariſtobulus.

Non ita pridem in quendam dialogum incidi inſcriptum: *Deus & Rex.* Scopus operis is eſt, vt Regiæ poteſtatis ac Iuramenti fidelitatis fundamenta proponat.

Philanax.

Quemnam tractatus ille tibi ſcrupulũ mouit? Conſtat mihi, te, cùm euangelij ſtudioſus ſis, ex eorum numero non eſſe, qui Regiam poteſtatem deprimere conantur, ac ferendum non putant ſubditos à Regibus per iuramenta in officio contineri.

Ariſtobulus.

Profeſſio & vitæ meæ ratio manifeſtum faciunt, qua ſim in Reges fide, quanti poteſtatem illorum faciam, quomodo quicquid eſt proditionum & infidelitatis deteſter. Doctrinam huius dialogi ſanè valde probo: *Sacroſanctis & auguſtis Patris Matriſque nominibus non parentes modò, à quibus ſpiritum hunc vitam-*

Dialog. Deus & Rex pag. 6.

que traximus, ſed & Magiſtratus omnes, præſertim verò eos, quibus ſuprema in terris poteſtas à Deo demandata eſt (Reges dico & Principes) indigitari. Nam hi lucidiùs, quàm alij Reipublicæ adminiſtratores, perſonam ac maieſtatem Dei Opt. Max. totum orbem terrarum adminiſtrantis repræſentant, eiuſque locum ac vices in ſuo quiſque regno, tenent. *Nec licere Principem tangere, ſaltem noxio aliquo tactu aut violento, nec in ſacram eius perſonā manum immittere; nec, vel oram chlamydis præſcindendo, timorem ei aliquem pudoremue incutere; nec lingua vel ſermone, imò nec mente & cogitatione, eum lædere.* Debere etiam *ratione ſui erga Principem officij ad regale ſubſidium tributa conferre, eius prælia cum Ioabo fortiter depugnare, cum Dauide eius hoſtes quantocunque vitæ ſuæ periculo inſequi*, cum religioſo Mardochæo proditoria contra eum *conſilia tempeſtivè detegere, preceſque & ſupplicationes pro incolumitate Regia deuotè fundere; poſtremò ipſa mente atque affectu Regem, quā par eſt, veneratione colere & proſequi, idque ex animo & propter conſcientiam, tanquam Chriſtum Domini ſacram Dei ordinationem & miniſtrum, aut potiùs terreſtrem quendam & mortalem Deum.* Hæc huius dialogi

Idem dialog. p. 33. & 34.

dicta probo. Et quicunque hæc officia, vel tumultibus aut ſeditionibus publicã pacem turbando, vel proditoriè vim in ſacram Regis perſonam machinãdo, infregerint, ferro ac flammis, non ſecùs ac voluntatis diuinæ violatores, iuris naturæ ſpretores, ac patriæ communis hoſtes exterminentur.

Philanax.

Cùm igitur quæ ſit fidelitas Regi debita tractatus ille tam plenè declaret, quidnam hac in re mentem tuam adeò ſolicitam reddit, vt erumpens mœror etiam vultum occupet?

Ariſtobulus.

Fidelitatem, ſemotis ambagibus ac dolis, generalibus & ſimplicibus verbis commendare, tum laude dignum eſt, tum his temporibus maximè neceſſarium. Verùm audaces ac temerarij tractatus, qualis hic eſt, qui Regiæ Prærogatiuæ myſteria reuelant, in quam (vt benè S. Maieſtas inſinuat) inquirere non

non licet; qui Regiam poteſtatem, humano generi tantopere neceſſariam, in dubijs quibuſdam, curioſiſque magis fundare nituntur; quique de depoſitionibus cum Regiæ Maieſtatis dedecore ſubditorumque offenſa quæſtiones mouent: huiuſmodi, inquam, tractatus obeſſe plurimùm poſſunt, prodeſſe nihil. Et proculdubiò quæſtionum harum authores adminiſtrationi Regiæ ſecretò aduerſantur, eamque hoc veluti ſtratagemate ſubruere conantur, quam huculque ſumptis etiam armis fruſtrà oppugnarunt.

Oratio habita in Camera ſtellata 16.6.

Philanax.

Perſuaſum habeo, & res ipſa docet, tractatum illum à nemine Pontificiorum conſcriptum, nec aliquam eius partem ab hoc hominum genere perfectam. Quinam ſunt igitur, quos dicis in Monarchia ſubruenda conatum ſuum ponere?

Ariſtobulus.

Vtinam in ijs ad lucem eruendis laborandũ eſſet, aut cuiuis facilè non eſſet

eam hominum ſectam digito notare, quæ ſemper ab ipſis incunabulis immortales cum Regibus inimicitias geſſit. Primi euangelicæ vt vocant reformationis hac ætate authores, in rebellione & odio Monarchiæ, eiuſdem radices poſuerunt, quod neque noſipſi, neque fautorum quiſquam negare poteſt. Culpam ab ipſis ſubmouere conatur Bancroftus Archiepiſcopus nuper Cantuarienſis, *quòd zelus eorum magnus fuerit. Lumen* (inquit) *Euangelij tum primũ apparens oculos eorum in tantum præſtringebat, vt non ſatis penſum haberent, quid agerent.* Ita planè fuit, & erit ſemper, vbicũque lux huius (vt loquitur) puri Euangelij affulſerit: & vbi zelus eius exarſerit, nulla Principi poteſt eſſe ſecura fidelitas.

Theſes periculoſæ p. 33.

Hæc (fateor) non leuis eſt Religionis ipſius macula, quam niſi me S. M.tis amor eloqui cogeret, ſilentio inuoluerẽ. Ratio verò cur hæc aliter ſe habere non poſſint, manifeſta eſt. Qui enim verum & feruentem Religionis ſpiritum imbibit, nunquam in re ſalutis æternæ pacem animi poterit aſſequi, aut in quæſtionibus fidei controuerſis ſibimetipſi ſatisfacere, donec ad infallibile aliquod

funda-

fundamentum perueniat, in quo tandē acquieſcat. Pontificij tenent ſententiam Papæ, in generali præſertim Concilio infallibilis controuerſiarum iudicis authoritatem obtinere. Dumque conſciētiam ac iudicium ſuum ſententiæ huius ſupremi iudicis ſubmittunt, pacem inter ſe concordiamque conſeruant, cùmque ſuum Iudicem, dum rem aliquam fidei definit, Diuino Spiritu munitum exiſtiment, ab errore ſecuri ſunt. Ratio ſanè facilis ac ſuauis ad controuerſias omnes dirimendas, ſi Deo placuiſſet eam Ecclefiæ ſuæ relinquere: per eam enim *Miſericordia & veritas obuiaſſent ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ fuiſſent*, potuiſſentq; Chriſtiani frui, quam tantopere S. Paulus cōmendat, *charitate veritatis*. Sed authores noſtri conſtanter aſſeuerant, nullum tale priuilegium vlli Paſtorum poſt Apoſtolorū tempora cōceſſum, nec voluiſſe Deum tanto munere Eccleſiā ſuā beare, vt viſibilem Iudicem quæſtionibus eius terminandis perpetuum largiretur.——nimium vobis Romana propago

Viſa potens, Superi, propria hæc ſi dona fuiſſent.

Pſ. 84 v. 11.

2 Theſſ. 2. v. 10.

Quare (conſenſu Eccleſiarum, quas

reformatas dicimus) Spiritus diuinus controuerſa determinans, quem Pontificij Romano Epiſcopo eiuſque Conſilijs proprium eſſe voluerunt, vnicuiq; datus eſt, qui Spiritu in Scripturis loquenti animum adhibeat. Quæ definiendi ratio initio placuit vulgo: credebant enim ſe prius nihil vidiſſe, & à Papa iniuria affectos, quòd (vnà cũ vſu ſacrarum literarum) ademiſſet ipſis facultatem iudicandi ex Scripturis de definitionibus Eccleſiæ. Qui rationem hanc excogitarunt, videntur quidem magno veritatis zelo flagraſſe: nõ tamen paci ſatis cõſuluerunt. Atq; adeo in praxi innumera multitudo ſectarũ ac Religionum ſibi inuicem aduerſantium exorta eſt: ita vt non pauci omnium pertæſi ſatiùs duxerint, homines in erroribus pacificè viuere, quàm circa veritatem tã implacabiles inimicitias exercere.

Quare aliam inierunt rationem finẽ huiuſmodi contentionibus imponendi, per prouinciales Synodos vel Regni Comitia; quę cùm errare poſſint, vt apud illos in confeſſo eſt, ad ciuilem Magiſtratum pertinet (vt Theologi noſtri docẽt) cùm

cùm in ijs præſideat, ſubditos ſuos gladij ſæcularis authoritate compellere ad earum ſententias, ſeu veræ ſint, ſeu falſæ, amplectendas. *Nam hic modus* (inquiunt) *à Deo inſtitutus fuit, qui ſui intellectus oculo prævidit melius, nonnunquam eſſe erroneam ſententiam definitiuam, donec eadem authoritate rurſus repellatur, vim ac robur obtinere, quàm contentiones ex nimia licẽtia creſcere, & non ſtatim aliqua ratione extingui.* Hac tamen ex parte videri poſſunt iſti pacis & concordiæ ſtudioſi, minùs acres, quàm oportuit, in veritate tuenda fuiſſe, atque ita impietati & irreligioſitati magnum oſtiũ (in Anglia præſertim) apertum, dum vnuſquiſque cogitur et Religioni adhærere, quam Rex amplexus fuerit, ſeu potiùs nulli. *Hookerus Eccl. pol. præf. p. 28.*

Huic malo conati ſunt remedium adhibere, docendo ſubditos teneri Principum legibus ac definitionib⁹ acquieſcere, *cùm contra illas probabilibus tantùm argumentis mouentur; tum verò non teneri, cùm neceſſariæ ac demonſtratiuæ rationes ſuppetunt. Tales enim rationes ſubditos ab obediendi officio liberant & facultatem reſiſtendi concedunt* Sed hoc remedium diſſenſionibus viã rurſus aperit. Nã ſectæ iam in orbe terrarũ innumeræ *Hookerus ib. pag. 29.*

ſunt, quarum nulla non iactitat ſe perſpicuas & euidentes demonſtrationes è Scripturis ſacris pro ſuis quaſq; dogmatibus habere, cùm tamen planè contraria & repugnantia doceant. Et cuius tādem erit in hoc diſſidio, & confuſione decernere, quorum argumenta neceſſaria ſint ac demonſtratiu[illegible]? Quæ nos demonſtratiua putamus, Pontificios nihil mouent; & quæ nobis nihili videtur, ea Puritani (vt ipſi apud Archiepiſcopū Bācroftū teſtātur) tāti faciūt, *vt ſi ſinguli ipſorū ſcapilli ſingulæ vitæ eſſent, omnes hanc ob causā prodigerēt.* Hæc igitur quęſtio, cui' rationes demōſtratiuę ſint, cuius nō ſint, omnium planè maxima eſt; nec in Eccleſijs noſtris alia ad eam definiendam via ſupereſt, quàm ſecularis Principis authoritas. Quare Principum eſt, vt paci conſulant, ſpiritui imperare, ac infallibilem authoritatem, quam verbis vendicare non audent, factis exercere.

In Synopſi ſanctæ diſciplinæ p. 93.

Hæc nimirum cauſa eſt occultarum inimicitiarum, quæ inter poteſtatē Regiam & Euangelij noſtri feruorem intercedunt. Nec enim vnquam Princeps per huius religionis principia ſecurus reddi poteſt non fore, vt zelus ac ſtudiū veritatis regni pacem perturbet: nec Euā-

geli-

gelicis noſtris perſuaſum fiet, temporalis pacis deſiderium non facturum aliquando, vt fallibilibus Regum definitionibus aſſentiri cogantur. Vnde manifeſtum fit, quamdiu hi zelo ac feruore ducentur ea ſequendi ac prædicandi, quę lumine ſpiritus exiſtimauerint in Scripturis ſacris contineri, non defuturas Principi occaſiones eorum licentiā poteſtate ſua coërcendi. Qua poteſtate quādiu vſus fuerit (vti autem debebit, quamdiu Princeps ac Proteſtans eſſe voluerit) non exiſtimet vnquam fore, vt Euangelici rationem eius Remp. adminiſtrandi diligant, quantumcunque in ſpeciem adulentur.

Habuerunt proculdubiò *a* purum Euangelij noſtri ſpiritum Scoti illi reformatores, qui profeſſi ſunt, *b ſe niſi Reformatione optata potirentur, nunquam vlli mortalium fieri velle ſubiectos.* Intuere primam Religionis noſtræ in *c* Germania, *d* Gallijs, *e* Belgio, *f* Sueuia, *g* Dania, & in ipſa *h* Scotia plantationem: videbis quantum ad Euangelij propagationem

a *Baſil. dor. p.* 40. & 41.

b. *Knox. hiſt. Eccleſ. Scoticæ p.* 265. *Theſes pericul. p.* 11.

c *Sleidē. l.* 28. & 22. *Oſiand. epit. cent.* 16. *p.* 566. d *Cuſpin. de Eccleſ. Gall. p.* 625. *Ferres hiſt. p.* 588. e *Oſiand. ib. p.* 94 f *Chitræus in chō. p.* 71. g *Fulk. reſp. ad declā.* P. *Frarini. p.* 37. h *Theſes peric. l.* 1. *c.* 3. 4. & *ſeq.* i *De ſancta diſciplin. p.* 101.

acceſſit, tantum Regiæ poteſtatis diminutum. Quod Bullengerus de Anabaptiſtis tradit, paſſim à noſtris etiam Reformatoribus factitatum eſt. *Ab Epiſcopis expellendis initium fecerunt, tum ad Reges thronis eijciendos proruperunt.* Atque de hoc argumento ſcripti ſunt libri à varijs authoribus, qui tamen Pontificij nõ fuerunt, quibus noſtrorum Euangelicorum & dicta & facta continentur cum Regum dignitate & authoritate pugnantia.

Principes ſunt omniũ, quos terra ſuſtinet, ſtultiſſimi & deterrimi nebulones Tom. 2. Ger. Ien. de magiſt. ſecul. f. 200 l *in Daniel. c. 6. v 22.* m *Knox. ad Aug. & Scot. f. 78.*

Lutheri inuectiuas, ne tuis auribus incommodem, omitto. Caluinus, ſi verba ſpectes, Luthero modeſtior eſt, audet tamen ſcribere, l *quòd abdicent ſe poteſtate terreni Principes, cùm inſurgunt aduerſus Deum, quodque potius conſpuere oporteat in eorum capita, quàm illis parere.* Leuia ſunt hæc, ſi perpendas, quæ *Hottomanus, Beza, Goodmanus, Knoxius, Vrſinus, Buchananus,* (vt innumeros alios taceam) ſcripſerũt, quibus Regem ſubditorum libidini ſubijciunt, in omnemque partem, prout venti flauerint, ac verſatilem faciunt,

Vt ſumat & ponat ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Quid enim aliud videntur clamare hæc eorum pronunciata, m *Si Principes tyran-*

tyrannidem contra Deum, eiuſque veritatē exerceant, eorum ſubditi iuramento fidelitatis iam non tenentur.

n Populus Rege maior eſt, & amplioris authoritatis.

o Populus eandem poteſtatem habet in Regem, quam Rex in priuatum quempiam.

p Populus ius habet coronam arbitratu ſuo cuiuis largiendi.

q Æger quē vult medicū adhibet, repellit cùm lubet: ſic populus, in cuius optione fuit initio ſibi Reges imponere, tyrannidis iniuria & tædio prauæ moderationis affectus, imperio Regē exuet, carcere, vinculis, morte mulctabit, & arbitratu ſuo quemcumque volet alium ſibi præficiet.

r Reges à populo authoritatem acceperunt, eamque populus cùm volet repetere poteſt, non ſecùs ac liberum eſt cuique literas, quibus vices ſuas alteri demandat, reuocare.

ſ Si Reges abſque timore leges Diuinas tranſgrediuntur, in Magiſtratuum numero habendi non ſunt, ſed examinandi, accuſandi, condemnandi ac puniendi, non ſecùs ac priuati legum violatores.

t Cùm ſuo officio non fungitur Magiſtratus, gladiū in manus populi Deus tradit: à quo

n Buchā. de iure Reg. p. 61.

o Ib. p. 58.

p Ib. p. 13.

q Ib. p. 12. Idem apud Blackvvod. Apol. pro Rege p. 61.

r Liber de obediētia editus Geneuæ à fugitiuis tempore Reginæ Mariæ, p. 26.

ſ Ibid. p. 319. 159.

t Goodmā. p. 180. 184. 185.

à quo nemo ſeu Rex, ſeu Regina, ſeu Imperator eximitur. Si idololatra ſit, morte moriatur.

Hæc & huiuſmodi ſunt noſtrorum purioris Euangelij zelo flagrantium dogmata & Aphoriſmi: Quibus etiam deteriora prolata ſunt à feruentibus illis reformatoribus, qui tempore Eliſabethę Reginæ diſciplinam Geneuenſem ſummo ſtudio ſtatuere conati ſunt in Anglia: adeo vt (quod dictus Cantuarienſis literis tradidit) *Papiſtici traditores omnes ac Geneuani, Scoticiq; Reformatores, qui in hunc vſque diem ſcripſerunt, ad horum procacia & iniurioſa conuitia, acerbas & importunas contumelias, indigna & contemptu plena verba in Principes, Prælatos, Conſiliarios & aduerſarios quoſcunque ne quidem acceſſerint.* A machinationibus verò occultis, quibus diſciplinā ac reformationem dictam, quacunque tandem ratione, ſeu dolo, ſeu vi promouerent, nūquam ceſſarunt, vt teſtatur idem ſeriem rerum enarrans ab anno 1560. ad 1591. quo tempore erupit horrendum illud atque diuinæ humanæque maieſtati iniurioſum Hacketti ſcelus, qui ſe *h Ieſum Chriſtum* finxit, Prophetas duos, alterum *miſericordiæ*, alterum *vindictæ* inſtituit,

f D. Bancroft. theſ. per p. 65.

g Ib. l. 3 c. 1. & ſeq.

h Lib. 4. c. 6. 7. 8. 9. 10.

vt hoc ſtratagemate *diſciplinam* illam, cuius amore puriores Euangelici feruent, *i Regina in ordinem redacta, Nobilibuſque qui reſtitiſſent, trucidatis, ſtabiliret.* i *Ib c.* 11.

Quod facinus præcipuos huius diſciplinariæ Reformationis ſtudioſos non latuit, ſed illis priuſquam ſuſciperetur per ambages & inuolucra de induſtria expoſitum approbarunt: k vt idem Archiepiſcopus aſſerit: Nimirum (Regibus expulſis) Democratiæ in Anglia ſtabiliendæ cupiditate ardebant, vt omnis Eccleſiæ doctrina & adminiſtratio à populi ſuffragijs & voluntate penderet. k *Ib. c.* 13.

Hanc enim gubernandi rationem ſi inuexiſſent *igneæ naturæ concionatores* iſti (ſic *l* enim Sereniſſimus Rex noſter eos appellat) cum ferè ſint homines vehementis ingenij, linguâ prompti, ſpiritu tribunitio & inquieto præditi, multæ authoritatis apud populum fuiſſent, & ſuam quiſque Parochiam Regiâ ſeu Papali poteſtate rexiſſet. *l Baſil. dor. p.* 41.

Sed hæc illis proditio infeliciter ceſſit, eoque caſu icti ac penè exanimati Puritani Reformantes, deinceps moderatiùs in ſpeciem ſe gerere cœperunt, & de ſua aduerſus Principes acerbitate nonnihil remittere: præſertim ex quo Maieſtas ſua ad Regni guber-

gubernacula fœliciter acceſſit, eorumq; nonnullos honoribus auxit. Iam e- nim mutata ſententia videntur Regibus impenſiùs ſtudere, Regiæ authoritatis fi- nes extendendi modum nullum ſta- tuunt, Iuramentum fidelitatis ſeue- riſſimè vrgent, præcipuique ſunt, qui Pontificios exagitant, quòd Reges in quibuſdam cauſis iure deponi poſſe do- ceant. Facilè mihi charitas perſuaſe- rit horum nonnullos non aliud ſentire, quàm profitētur; ab hoſtibus tamen, et- iam poſtquam in gratiā redijſſe videri poſſunt, cauēdum docet prudentia. Mel- le nonnunquam (nec aliâ eſcâ certiùs) tegitur venenum. Exterior quidem eorum doctrinæ facies amicitiam quandam & ſtudium erga Reges præ- ſefert. At ſi fundamenta illius peni- tùs inſpicias, ſtatim inuenies non mi- nùs Regibus exitioſam eſſe, quàm fue- rit prior illa, quam ex *Caluini*, *Good- mani*, *Knoxij*, *Buchanani*, aliorumque ex hac ſecta maiorum ac Magiſtrorum ſuo- rum libris & inſtitutionibus hauſe- runt.

Nouæ verò huius de Regibus ſenten- tiæ ſumma continetur libello hoc, qui dicitur *Deus & Rex*, cui⁹ author imme- rito

ritò ſe Theodidactum.i.à Deo doctum nominat, cùm multa doceat, quæ certè diuinus Spiritus non ſuggeſſit. Quatuor autem aſſertiones probandas ſibi aſſumit. m Prima eſt, *Reges authoritatē ſuam ſoli Deo acceptam referre. Eccleſiam populumque nihil conferre.* Et hoc fundamentum eſt, vnde ſecunda deducitur, nimirū, n *Reges ſuperiorem, qui in ipſos animaduertere poſſit, excepto Deo, neminem habere aut agnoſcere.* Tertia eſt; o *Ob nullam prorſus tyrannidem, nec ob eam quidem, quæ cum Infidelitate, hæreſi, apoſtaſiâ coniuncta eſt, ſolui poſſe illud obſequij vinculum, quod Principi à ſubditis debetur.* Quarta eſt, p *Nec deponi Reges, nec ijs reſiſti, niſi lachrymis & precibus poſſe, quamuis eò impietatis prolabantur & inſaniæ, vt Eccleſiam ipſam penitus opprimere conentur, ſanctiſſimumque Chriſtianæ Religionis lumen exſtinguere.*

m *Dial.* p 31.32. 33.88.p. 30.64.
n p.50. 36.64.
o p. 70. 80.
p.75.76.
p pp.84. 85.

Philanax.

Poſſunt quidem hæc ſubditis eſſe ingrata, eorumque auribus abſona: ſed qua ratione Regibus perniciosa

cenſeri

cenſeri poſſit ea doctrina, quæ tantum eis tribuit, non video.

Ariſtobulus.

Regum eſt non tam perpendere, quā ſpecioſi ſint illi tituli, quibus ornantur, ſed quàm ſolida veritate ſubnixi. Laudes enim, quæ fidem prorſus excedunt, etiā veris ac meritis laudibus fidem abrogāt. *Euangelici nonnulli* (vt cordatus quidam Proteſtans conqueritur) *dum ſacris literis plus tribuunt, quàm ipſis aptè conuenire poteſt, in periculum rem adduxerunt, ne incredibilia, quæ tribuuntur, reuerentiam abrogent etiam iis quæ copioſiſſimè continent.* Idem authoritati Regiæ periculum ab inanibus adulationibus, quales hic Dialogiſta tangit, imminet; quæ profectò eò perículoſiores magiſque Principi pertimeſcendæ ſunt, quòd non ſolùm immēſis laudibus & titulis auctum, veluti omnipotentem Deum quendam in terris conſtituant, ſed etiam ſubditos ad ſeruilem & indignam captiuitatem, ac conditionē ipſa ſeruitute longè miſerabiliorem deijciant. Seruis enim (vt nihil de limitibus dicam, quos humanæ leges ipſorum ærumnis conſtituerunt) quæ-

Hook. Eccleſ. polit. l. 2. p. 129.

dam libertates & iura naturæ lege intacta remanent, quæ(ſi vires ſuppetant) poſſunt etiam contra ſuorum Dominorum, nedum alterius inuadentis cuiuſpiam iniuriam tueri. Hoc ius habent, vt coniugium humani generis propagandi cauſa ineant; vt vitâ, quamdiu nil morte dignum egerint, fruantur, præcipuè verò vt cultũ Deo creatori ſuo ac ſupremo Domino exhibeant. At hęc noua doctrina de ſupremâ, & abſolutâ (vt dicitur) poteſtate Principum, quam hic tractatus cõtinet, adeò Rempub. opprimit, ac populum in ſeruitutem redigit, vt neque iura ſua nationalia, quantumcunque iuſta ſint, ac neceſſaria, neq; libertates & iura, quæ natura etiam in ſeruis ſarta tecta eſſe voluit, tueri poſſint. Quamobrẽ ſi Princeps inſana quadam libidine incitatus ſubditis connubia per vim interdiceret, vt hac ratione Reſpublica vnius ſęculi ſpacio paulatim tota contabeſceret: ſi longioris huius moræ, lentæque tabis exitum exſpectãdi impatiẽs, quotidie miſeros innoxioſque mortales turmatim veluti ouium aut boum greges ferro iugulet: denique ſi mortalĩ odio ſubditos ſuos proſequẽs, & vt æternùm pereant cupidus, doctrinam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nam ſalutis in Regno ſuo penitùs extinguere conetur: ſi hæc, inquam, vel his etiam diriora humano generi infeſtus animo pluſquam hoſtili, obſtinatâ crudelitate moliatur, non licebit ſubditis (authore dialogiſtâ noſtro) vel digitum aduerſus barbaras eius machinationes leuare, vel alteri cuipiam, cuius ope à tantis ærumnis eripi poſſent, ſeſe coniungere.

Philanax.

Apertè video doctrinam hanc per ſe inuidioſam Regibus eſſe: tu verò ſuis planè coloribus eam ſpectandam exponis.

Ariſtobulus.

Nihil aſſerui, quod in Theodidacti verbis non contineatur, neque magis ad viuum tyrannidem, cuius ſe profitetur patronum, exprimo, quã illã ſuo hoc tractatu ipſe deſcripſit. Sat ſcio nihil horũ à benigniſſima ſua Maieſtate metuẽdum: neque ex hoc metu dixi, ſed vt oſtenderem, quantam in inuidiam hæc ſententia Regium nomen

poſſit

poſſit adducere, quàmque procliue ſit turbulentis hominibus hanc infinitam Regum poteſtatem exaggerare, atq; ita depingere, vt in odium generis humani incurrat, quod certè quin facturi ſint, non eſt dubitandum, cùm ſeſe occaſio offeret aduerſus eam pro Democratica adminiſtratione ad populum declamandi. Nunc publica authoritate à ſe ſcriptos tractatus edi curant, quibus ad Sereniſſimum Regem populari odio exponendum, cùm opportunum illis fuerit, vtantur. Non abſimili ſtratagemate Scoti Puritani (vt Cãdenus refert) Regis matrem ſanctiſſimam fœminam in exitium traxerunt. Nam cùm maritum Regem Regis noſtri patrem immaniſſimè trucidaſſent, Reginam viduã importunis precibus & cõſilijs adduxerunt, vt in coniugium cum Comite Bothroello, qui plurimum poterat, cõſentiret, ab eo coniugio & Reginæ vitam, & Regni ſalutem pendere dictitantes. Celebratæ vix nuptiæ erant, cùm egregij iſti Conſiliarij, quod Reginam ſtudioſè celauerant, euulgant Bothroellum in Rege marito necando primas tenuiſſe, innocentemque indignis ſuſpicionibus vexant, quaſi in occiſi mariti *Camdenus Elizab. p. 111 an. 1577.*

necem

necem conſpiraſſet. Atque ita quà ſparſis per exteras nationes mendacibus libellis, quà ſeditioſis domi concionibus, inuiſam reddunt, Regnò exturbant, ac per varias calamitates eò tandẽ deduxerunt, vt ceruicem Regiam, quã nec manibus quidem fas eſt tangere, pręcidendam carnifici præbere cogeretur. Sereniſſimo Rege Iacobo ad Regni gubernacula ſedente nihil turbatum futurum voueo ac ſpero. Si quando autem (humana omnia, præſertim verò Regia incerta eſſe & caſibus expoſita quis neſcit?) Si quando, inquam, tempora turbulenta incidant, non vereor ne vanum me vatem ſucceſſus arguat, qui iam prædico fore, vt plurimi, qui nunc huic nouæ doctrinæ de regũ omnipotentia applaudunt, eandẽ tũc (occaſione arrepta) quàm acerrimè exagitaturi ſint, & ab hoc ipſo libello teſtimonium petituri, quàm ſcilicet acerba duraque ſeruitute Principes ſubditos ſuos premere cupiant, hocque inprimis argumento vſuri non ſolùm Maieſtatem ſuam, verùm etiam omne Regium nomen ex Anglia penitùs exterminandi. Querebatur Archiepiſcopus nuper Cantuarienſis *de Regnis ad Democratiam deuoluendis ſermones multis* (ſi-

Bancroft. de ſancta diſcip. c. 2. p. 7.

ac

nec dubio Caluinianis) *in ore fuiſſe*: inter ſe muſſitaſſe, *quàm præclarum ſit Venetijs viuere, vbi Patricio cuilibet non minor eſt libertatis vſus, quàm ipſi Duci.* Nunc verò plurimi per Angliam volitant, qui frequentes in ore habent Reges, eorumque Maieſtatem, de quorum tamen ſincera fidelitate non immeritò dubitari poteſt; imò dubitari vix poteſt, quin, quos verbo laudant, animo cupiant Regno eiectos. Quid, quòd Puritani nōnulli poſtremis Comitijs, cùm Regijs poſtulatis iniquiores inter ſe conuentus clancularios haberent, agitare non dubitarunt, expediretne Reipublicæ Anglicanæ dominatum vnius cum populari adminiſtratione commutare? Neque verò hominibus illis, qui Geneuenſis diſciplinæ amorem ſemel imbiberunt, tutò fidere Rex poteſt, quamuis ad Epiſcopalem dignitatem capeſſendam ſe permittant adduci. Quam quidem dignitatem ſe ſaluâ religione ſuâ ſuſcipere poſſe arbitrantur, non vt ſacrum munus à Chriſto inſtitutum, ſed vt *ciuile* quoddam à Principe iniūctum, quo tantiſper vtantur, donec ſuam diſciplinam erexerint, atque ex Epiſ- *Theſes peric. p. 117. 118.*

B copis

copis ipſimet Reges fiant.

His ſocij ac fœderati in Gallijs non deſunt, quorũ ſententiam ac ſtudia *Turquetus* illius gentis Caluiniſta non ignobilis, libro, quem in Democratiæ laudẽ edidit, expreſſit, neque apud Hollandos, quibus Gallicanus iſte Democratiſta librum ſuum inſcripſit, hominesque appellat hoc adminiſtrationis genere iam beatos, aptiſſimaque ad eandem apud cæteras gentes reformatas plantandam inſtrumenta. Ab his Monarchiæ hoſtibus, tam arcto inter ſe fœdere coniunctis, nec à ſe inuicem multa terrarum intercapedine diſſitis, adeoque ſubdolis, vt etiam ſub infulis Epiſcopalibus ac pileis quadratis, & Epiſcoporum, quos maximè execrantur, habitu lateant, magis nobis meritò metuendum eſt, quàm à Papa, qui & à noſtra Anglia remotior eſt, nec cauſam agit popularem, nec veriſimile eſt eos, qui ſunt illi addicti, ſuperiores per vim futuros, quique adeò aperti ſunt, vt mori malint, quàm in re fidei ſimulatione vlla vti.

Philanax.

Ex ijs, quæ dicis, video machinatio-

nes

nes aduerſus Reges ſub hoc dogmate, quod ipſis maximè blanditur, tegi poſſe multò periculoſiores, quàm facilè, niſi monitus præuidiſſem. Deſipuere olim Troiani, cùm Græcorum donis fidem habuerunt: nec mihi videtur cum prudentia poſſe conſiſtere, vt illis libris fidem quis habeat, quos qui Puritani fuerunt aliquando, nunc ſcribunt, vt Principi adulentur, ſtudiumque erga ſupremum vnius dominatum fingant, quem ſecta ipſorum odio inueterato ipſiſque viſceribus inſito proſequitur. Timeo ne ſicut in equo Troiano latebant hoſtes armati, ſic fidelitate hac noua tegantur proditores, qui cùm tempus erit opportunum, ſeſe in lucem efferent furioſis concionibus velut facibus armati, vt populum incēdant aduerſus Reges, quibus infinitam atque inuiſam nunc poteſtatem tribuunt.

Ariſtobulus.

Non abſque cauſa, Philanax, times: Nam vt ſibi dominatum vſurpent, id faciunt, quod à Machiauello didicerunt: Diuide & Regna. Diuidūt enim à Rege,

illique ſuſpectos reddere moliuntur, quorum amor ipſi vel maximè poſſit eſſe neceſſarius. In memoriam reuoca quatuor ipſorum, quos ſuprà poſui, articulos, & ſtatim perſpicies Regem cũ quatuor hominum generibus, quorum amicitia & ope maximè indiget, in certamen deſcendere. E primo articulo lis ei cum Repub naſcitur; à qua ſuam authoritatem deriuari dedignatur. Secundus ei cum Eccleſia contẽtionem parat, cuius directioni ac cenſuris ſe renuit ſubijcere. Tertius articulus cum toto humano genere Regem committit, qui ſibi poteſtatem arroget, cui nulla ratione ab hominibus reſiſti poſſit, etiamſi in omnes ſibi ſubditos pro libidine ſæuiat. Quartus illum in apertum cũ Deo bellum ducit, cùm à Repub contendit, vt ſi vtroque frui non poſſit, Deo poti' quàm Rege carere velit. Tituli verò iſti, quos cum tanta Reipub. Eccleſiæ, generis humani, Dei denique ac cœlitum offenſione Principi obtrudunt, leuibus omninò principijs & fundamentis nitũtur, opinionibus nimirum aut incertis, aut omninò falſis, quæque vel ipſo ſono adeò ſunt humanis auribus ingratæ, vt etiamſi veræ eſſent, non expediret

cas

eas vlla ratione proponi vulgo.

Philanax.

Video has opiniones inuidiæ aduerſus Principes concitandæ opportunas eſſe: credo etiam fundamento carere. Cupio tamen, vt hoc vtrumque in ſingulis his quatuor propoſitionibus ſigillatim demonſtres, quò ſim ad proditoria eorũ conſilia, qui ſe Regum amicos fingunt, detegenda inſtructior.

Ariſtobulus.

Conabor ſatiſfacere petitioni tuæ: in primis quatuor has propoſitiones examinabo; deinde quid de iuramento nouo fidelitatis, quod illis ſuperſtruit Theodidactus, pauca addam.

A prima igitur propoſitione incipiam, quæ eſt: Reges à ſolo Deo ſine cõſenſu Reipublicæ poteſtatem habere. Hæc autem cùm ſit reliquarum fundamentum, in eius imbecillitate demonſtranda latiorem operam ponam, vt appareat *Theodidactum* vel eſſe architectum longè imperitiſſimum, qui tam caduco fundamento tam ingens ædificium in altitudinem nubium erigere

cenſeri poſſit ea doctrina, quæ tantum eis tribuit, non video.

Ariſtobulus.

Regum eſt non tam perpendere, quā ſpecioſi ſint illi tituli, quibus ornantur, ſed quàm ſolida veritate ſubnixi. Laudes enim, quæ fidem prorſus excedunt, etiā veris ac meritis laudibus fidem abrogāt. *Euangelici nonnulli* (vt cordatus quidam Proteſtans conqueritur) *dum ſacris literis plus tribuunt, quàm ipſis aptè conuenire poteſt, in periculum rem adduxerunt, ne incredibi i, quæ tribuuntur, reuere.tiam abrogent etiam ijs quæ copioſiſsimè continent.* Idem authoritati Regiæ periculum ab inanibus adulationibus, quales hic Dialogiſta tangit, imminet; quæ profectò eò perculoſiores magiſque Principi pertimeſcendæ ſunt, quòd non ſolùm immēſis laud bus & titulis auctum, veluti omnipotentem Deum quendam in terris conſtituant, ſed etiam ſubditos ad ſeruilem & indignam captiuitatem, ac conditionē ipſa ſeruitute longè miſerabiliorem deijciant. Seruis enim (vt nihil de limitibus dicam, quos humanæ leges ipſorum ærumnis conſtituerunt) quæ-

Hook. Eccleſ polit. l. 2. p. 129

dam

dam libertates & iura naturæ lege intacta remanent, quæ(ſi vires ſuppetant) poſſunt etiam contra ſuorum Dominorum, nedum alterius inuadentis cuiuſpiam iniuriam tueri. Hoc ius habent, vt coniugium humani generis propagandi cauſa ineant; vt vitâ, quamdiu nil morte dignum egerint, fruantur, præcipuè verò vt cultũ Deo creatori ſuo ac ſupremo Domino exhibeant. At hęc noua doctrina de ſupremâ, & abſolutâ (vt dicitur) poteſtate Principum, quam hic tractatus cõtinet, adeò Rempub. opprimit, ac populum in ſeruitutem redigit, vt neque iura ſua nationalia, quantumcunque iuſta ſint, ac neceſſaria, neq; libertates & iura, quæ natura etiam in ſeruis ſarta tecta eſſe voluit, tueri poſſint. Quamobrẽ ſi Princeps inſana quadam libidine incitatus ſubditis connubia per vim interdiceret, vt hac ratione Reſpublica vnius ſęculi ſpacio paulatim tota contabeſceret: ſi longioris huius moræ, lentæque tabis exitum exſpectãdi impatiẽs, quotidie miſeros innoxioſque mortales turmatim veluti ouium aut boum greges ferro iugulet: denique ſi mortali odio ſubditos ſuos proſequẽs, & vt æternùm pereant cupidus, doctri-

niam

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

nam ſalutis in Regno ſuo penitùs extinguere conetur: ſi hæc, inquam, vel his etiam diriora humano generi infeſtus animo pluſquam hoſtili, obſtinatâ crudelitate moliatur, non licebit ſubditis (authore dialogiſtâ noſtro) vel digitum aduerſus barbaras eius machinationes leuare, vel alteri cuipiam, cuius ope à tantis ærumnis eripi poſſent, ſeſe coniungere.

Philanax.

Apertè video doctrinam hanc per ſe inuidioſam Regibus eſſe: tu verò ſuis planè coloribus eam ſpectandam exponis.

Ariſtobulus.

Nihil aſſerui, quod in Theodidacti verbis non contineatur, neque magis ad viuum tyrannidem, cuius ſe profitetur patronum, exprimo, quã illã ſuo hoc tractatu ipſe deſcripſit. Sat ſcio nihil horũ à benigniſſima ſua Maieſtate metuẽdum: neque ex hoc metu dixi, ſed vt oſtenderem, quantam in inuidiam hæc ſententia Regium nomen

poſſit

poſſit adducere, quàmque procliue ſit turbulentis hominibus hanc infinitam Regum poteſtatem exaggerare, atq; ita depingere, vt in odium generis humani incurrat, quod certè quin facturi ſint, non eſt dubitandum, cùm ſeſe occaſio offeret aduerſus eam pro Democratica adminiſtratione ad populum declamandi. Nunc publica authoritate à ſe ſcriptos tractatus edi curant, quibus ad Sereniſſimum Regem populari odio exponendum, cùm opportunum illis fuerit, vtantur. Non abſimili ſtratagemate Scoti Puritani (vt Cãdenus refert) Regis matrem ſanctiſſimam fœminam in exitium traxerunt. Nam cùm maritum Regem Regis noſtri patrem immaniſſimè trucidaſſent, Reginam viduã importunis precibus & cõſilijs adduxerunt, vt in coniugium cum Comite Bothroello, qui plurimum poterat, cõſentiret, ab eo coniugio & Reginæ vitam, & Regni ſalutem pendere dictitantes. Celebratæ vix nuptiæ erant, cùm egregij iſti Conſiliarij, quod Reginam ſtudioſè celauerant, euulgant Bothroellum in Rege marito necando primas tenuiſſe, innocentemque indignis ſuſpicionibus vexant, quaſi in occiſi mariti necem

Camdenus Elizab. p. 111 an. 1577.

necem conſpiraſſet. Atque ita quà ſparſis per exteras nationes mendacibus libellis, quà ſeditioſis domi concionibus, inuiſam reddunt, Regno exturbant, ac per varias calamitates eò tandē deduxerunt, vt ceruicem Regiam, quā nec manibus quidem fas eſt tangere, præcidendam carnifici præbere cogeretur. Sereniſſimo Rege Iacobo ad Regni gubernacula ſedente nihil turbarum futurum voueo ac ſpero. Si quando autem (humana omnia, præſertim verò Regia incerta eſſe & caſibus expoſita quis neſcit?) Si quando, inquam, tempora turbulenta incidant, non vereor ne vanum me vatem ſucceſſus arguat, qui iam prædico fore, vt plurimi, qui nunc huic nouæ doctrinæ de regū omnipotentia applaudunt, eandē tūc (occaſione arrepta) quàm acerrimè exagitaturi ſint, & ab hoc ipſo libello teſtimonium petituri, quàm ſcilicet acerba duraque ſeruitute Principes ſubditos ſuos premere cupiant, hocque inprimis argumento vſuri non ſolùm Maieſtatem ſuam, verùm etiam omne Regium nomen ex Anglia penitùs exterminandi. Querebatur Archiepiſcopus nuper Cantuarienſis *de Regnis ad Democratiam deuoluendis ſermones multis* (ſi-

Bancroft. de ſanƈta diſcip. c. 2. p. 7.

ne

ſæ dubio Caluinianis) *in ore fuiſſe*: inter ſe muſſitaſſe, *quàm præclarum ſit Venetijs viuere, vbi Patricio cuilibet non minor eſt libertatis vſus, quàm ipſi Duci.* Nunc verò plurimi per Angliam volitant, qui frequentes in ore habent Reges, eorumque Maieſtatem, de quorum tamen ſincera fidelitate non immeritò dubitari poteſt; imò dubitari vix poteſt, quin, quos verbo laudant, animo cupiant Regno eiectos. Quid, quòd Puritani nõnulli poſtremis Comitijs, cùm Regijs poſtulatis iniquiores inter ſe conuentus clancularios haberent, agitare non dubitarunt, expediretne Reipublicæ Anglicanæ dominatum vnius cum populari adminiſtratione commutare? Neque verò hominibus illis, qui Geneuenſis diſciplinæ amorem ſemel imbiberunt, tutò fidere Rex poteſt, quamuis ad Epiſcopalem dignitatem capeſſendam ſe permittant adduci. Quam quidem dignitatem ſe ſaluâ religione ſuâ ſuſcipere poſſe arbitrantur, non vt ſacrum munus à Chriſto inſtitutum, ſed vt *ciuile* quoddam à Principe iniũctum, quo tantiſper vtantur, donec ſuam diſciplinam erexerint, atque ex Epiſ- *Theſes peric. p. 117. 118.*

B copis

copis ipſimet Reges fiant.

His ſocij ac fœderati in Gallijs non deſunt, quorũ ſententiam ac ſtudia *Turquetus* illius gentis Caluiniſta non ignobilis, libro, quem in Democratiæ laudẽ edidit, expreſſit, neque apud Hollandos, quibus Gallicanus iſte Democratiſta librum ſuum inſcripſit, homineſque appellat hoc adminiſtrationis genere iam beatos, aptiſſimaque ad eandem apud cæteras gentes reformatas plantandam inſtrumenta. Ab his Monarchiæ hoſtibus, tam arcto inter ſe fœdere coniunctis, nec à ſe inuicem multa terrarum intercapedine diſſitis, adeoque ſubdolis, vt etiam ſub infulis Epiſcopalibus ac pileis quadratis, & Epiſcoporum, quos maximè execrantur, habitu lateant, magis nobis meritò metuendum eſt, quàm à Papa, qui & à noſtra Anglia remotior eſt, nec cauſam agit popularem, nec veriſimile eſt eos, qui ſunt illi addicti, ſuperiores per vim futuros, quique adeò aperti ſunt, vt mori malint, quàm in re fidei ſimulatione vlla vti.

Philanax.

Ex ijs, quæ dicis, video machinatio-

nes

nes aduerſus Reges ſub hoc dogmate,quod ipſis maximè blanditur, tegi poſſe multò periculoſiores, quàm facilè,niſi monitus præuidiſſem. Deſipuere olim Troiani, cùm Græcorum donis fidem habuerunt:nec mihi videtur cum prudentia poſſe conſiſtere,vt illis libris fidem quis habeat, quos qui Puritani fuerunt aliquando, nunc ſcribunt,vt Principi adulentur, ſtudiumque erga ſupremum vnius dominatum fingant, quem ſecta ipſorum odio inueterato ipſiſque viſceribus inſito proſequitur. Timeo ne ſicut in equo Troiano latebant hoſtes armati, ſic fidelitate hac noua tegantur proditores, qui cùm tempus erit opportunum,ſeſe in lucem efferent furioſis concionibus velut facibus armati,vt populum incēdant aduerſus Reges, quibus infinitam atque inuiſam nunc poteſtatem tribuunt.

Ariſtobulus.

Non abſque cauſa,Philanax, times: Nam vt ſibi dominatum vſurpent,id faciunt,quod à Machiauello didicerunt: Diuide & Regna.Diuidūt enim à Rege,

eas vlla ratione proponi vulgo.

Philanax.

Video has opiniones inuidiæ aduerſus Principes concitandæ opportunas eſſe: credo etiam fundamento carere. Cupio tamen, vt hoc vtrumque in ſingulis his quatuor propoſitionibus ſigillatim demonſtres, quò ſim ad proditoria eorũ conſilia, qui ſe Regum amicos fingunt, detegenda inſtructior.

Ariſtobulus.

Conabor ſatisfacere petitioni tuæ: in primis quatuor has propoſitiones examinabo; deinde quid de iuramento nouo fidelitatis, quod illis ſuperſtruit Theodidactus, pauca addam.

A prima igitur propoſitione incipiam, quæ eſt: Reges à ſolo Deo ſine cõſenſu Reipublicæ poteſtatem habere. Hæc autem cùm ſit reliquarum fundamentum, in eius imbecillitate demonſtranda latiorem operam ponam, vt appareat *Theodidactum* vel eſſe architectum longè imperitiſſimum, qui tam caduco fundamento tam ingens ædificium in altitudinem nubium erigere

meditatur : vel archiproditorem certè verſutiſſimum, qui quoniam ſupremam Regum authoritatem cupit euerſam, amoto vetere fundamēto ſtabili ac firmo, molem tantæ poteſtatis in noua, ſed futiliſſima ratiocinatione cōſtituit, quam ſcit ſe poſſe cùm voluerit nullo negotio demoliri. Atque vt hoc manifeſtum fiat, obſeruandum eſt homines tribus modis ad Regnum peruenire: populari nimirum electione; victoria legitima; aut ſingulari deſignatione diuina nominatim reuelata. Dico *nominatim reuelata*, quòd ſciam priores duos titulos à diuina quoque prouidentia promanare. Titulus electionis ab hominum ſtudijs pendet, victoriæ à belli euentis. Hæ verò duæ res cùm incertiſſimæ ſint, qui ſimilibus medijs Regiam dignitatem aucupantur, à Dei vnius nutu toti pendeant neceſſe eſt: Deus enim in electionibus fauorem popularem, & in bello victoriam, cui vult, elargitur. Quam ob cauſam dicitur:
a Prou. 8. a *Reges per ipſum regnare*; b *ipſum Reges*
b Iob 36. *in ſolio collocare*; c ipſum *dominari ſuper*
c Dan. 4. *regnum hominum, & cuicunque voluerit, dare illud*: non quòd abſque cauſis ſecundis Reges conſtituat aut Monarchas:

ſed

ſed quòd iſtiuſmodi ſecundæ cauſæ tam ſint ancipites & lubricæ, vt nihil certi, niſi prima cauſa ſpecialiter diſponente, operentur. Quapropter Electionis ac victoriæ tituli à Deo præcipuè, quamuis non à ſolo, neque proximè proueniunt: Hoc enim in illis tantùm fit, quos Deus nonnunquam ad regnum, vt olim *Saulem* & *Dauidem* nominatim deſignat.

Philanax.

Succeſſionem prætermittis, qui titulus eſt non poſtremus.

Ariſtobulus.

Succeſſio generis non eſt è primis illis titulis, vnde ius regnandi naſcitur; ſed ratio quædam, qua ius à Maioribus, qui primi illud adepti ſunt, ad poſteros deriuatur. Ex tribus autem illis primarijs titulis nullus abſque Reipub. conſenſu ad Regem inſtituendum ſufficit. Cū Rex per electionem creatur, aperta res eſt; ſed cū bello vincit, videtur ad coronā renitente Repub. peruenire. Verū quidē eſt ius victoris etiam illis nolentibus ipſum conſequi; authoritatē tamē in eos

Regiam, niſi conſenſu populi, obtinere non poteſt. Ius victoris Remp. obligat ad eum in Regem iuſtis conditionibus aſſumendum, quas ipſe graues ac duras pro ratione criminis præſcribat. Si conſentire renuunt, ius gladij habet ad eos compellendos, non Principis ad eos regẽdos, donec ipſi conſenſum adhibeãt: quem cùm adhibuerint, tum demum noua quædam ſocietas & Reſpub. naſcitur è victoribus ac deuicto populo cõpacta: victorque Princeps Rex præficitur ad eos ſecundùm leges & conditiones, de quibus inter ſe ipſi conuenerint, regendos: quas ille ſi neglexerit, non minùs eſt obnoxius Reip. quàm Reges per electionem creati.

Neque verò cùm Deus aliquem nominatim Regem deſignat, quẽadmodũ *Saulem* & *Dauidem*, habet ille poteſtatẽ proximè atque ſolummodo à Deo. *Saulẽ* quidẽ ac *Dauidẽ* dicitur Deus Reges creaſſe, quia ab omni æternitate decreuit eos Reges futuros. hoc ſuũ decretũ rato tempore patefecit, præceptum populo ſuo impoſuit, eorumque animos ad illos Reges creandos efficaciter incitauit. Iſti ſunt longinqui ac remoti tituli, quibus perſonæ quædam regno deſignãtur;

ſed

ſed oſtendi nunquam poteſt, cùm Deus *Saulem* ac *Dauidem* in regnum euexit, populi conſenſum cum diuino non cõcurriſſe. Imò ſacræ literæ videntur hoc ipſum ſignificare, cùm dicant *perrexiſſe omnem populum in Galgala, & feciſſe ibi Regem Saul coram Domino* : & *ſeniores Iſrael ac Iuda vnxiſſe Dauidem in Regem.* 1. Reg. 11. 2. Reg. 5.

Philanax.

Dicunt nonnulli *Dauidem & Saulem à populo vnctos in Reges, non vt ad regnum ius adderent, aut ius nouum regnandi facerent, quod iam ante ſolius Dei iuſſu & deſignatione collatum fuerat, ſed vt Reges factos ſignificarent, ac poſſeſſionem regni, quod à Deo habebant, conferrent.* Dial. p. 43.

Ariſtobulus.

Memini Dialogiſtam Theodidactum ita reſpondere, ſed rationem dictorum adfert nullam. Putatne ſupremam Regũ poteſtatem nudis eius verbis innixam ſatis firme conſtare? Huic dicto ſi innitatur Regia poteſtas, nonne corruet, ſi

quis,quod Theodidactus verbo tantùm aſtruit,verbo neget;dicatque populum cum Deo pariter ad eos Reges creandos concurriſſe?Quod in Deuteronomio ſignificari videtur,cùm dicitur, *Eum Regem conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum ſuorum*; ac ſi diceret, Dei fuiſſe deſignare perſonam, populi verò eum Regem, authoritatem conferendo, conſtituere. Cùm autem Deus per ſeipſum res agere non ſoleat, quando cauſæ ſecundæ, eæque ſatis efficaces, promptæ paratæque ſunt,cur non exiſtimemus Deum, Saule ac Dauide deſignatis,eos creandos populo Iudæorum reliquiſſe, quibus non minùs, quàm reliquis nationibus ius fuit ſibi Reges & adminiſtratores conſtituendi.

Deut. 17.

Vides iam, in quo periculo verſetur ſuprema Regum poteſtas,quam Dialogiſta noſter, ſuper hanc ratiocinationem fundat: *Saul* ac *Dauid* poteſtatem à DEO ſolo & proximè acceperunt:ergo idem de alijs regibus credendum eſt. Propoſitio incerta eſt,nec vnquam probari poteſt,ſed eſt lõgè etiã imbecillior concluſio,quæ peculiarem quandã gratiam à Deo in populum ſuum Reges eis

deſignando collatam ad vniuerſitatem Regum ac nationum deriuare conatur. Pulchrè profectò. Deus enim in ſolitudine populum ſuum pane ab Angelis confecto pauit; num tamen ideò concludemus, nullum hominibus panem eſſe, qui è cœlo proximè non deſcenderit?

Sed(vt hos omittamus, quos aperto Dei mandato nominatim deſignatos conſtat) cæteros Reges à ſolo Deo poteſtatem accepiſſe, paradoxum eſt vix vlli Chriſtiano Theologo probatum. Pontificij, Puritani, Proteſtantes, tam exteri, quã Anglicani noſtri, quos Puritani vocãt Conformitãtes, authoritatẽ Regiam volunt à Repub. dimanaſſe. Producamus ex Anglicanis Proteſtantibus teſtes. Nũ Doct. *Bilſono* nuper Epiſcopo VVintonienſi & *Hookero* grauiores vllos inueniemus? Prior in libro, quem de Chriſtiana ſubiectione inſcripſit, quæſtionem hanc diſputat, ac definit Reges non tantùm à Republica creatos eſſe, ſed etiam poſſe nonnunquã per ſupremã eius poteſtatem deponi: Et hac ratione defendit Chilpericum à Gallicanis Proceribus iure fuiſſe regno priuatum ſubrogato in eius locũ Pipino. Hooker⁹

Lib. 1. *Eccleſ. polit. p.* 72. hæc habet: *Omnis adminiſtratio publica, cuiuſcunque demum generis ea ſit, planè videtur à deliberato conſilio, hominumque inter ſe conſentientium, ac ſemet eidem ſubijcientium decreto, duxiſſe originem; ſine quo conſenſu videtur à ratione penitus alienum, hominem in homines dominatum ac poteſtatem ſibi vendicare.*

Ibid. Atque iterum: *Parentibus*, inquit, *in ſuas familias natura ſupremam poteſtatem dedit: in totam tamen aliquam multitudinem, quæ à nullo quopiam dependet, & ex multis familiis conſiſtit, non poteſt vnus aliquis integram ac plenam authoritatem abſque hominum conſenſu vendicare.* Concedit ille quidem nonnullos legum latores ac Reges, *Moyſen, Saulem, Dauidem* à Deo poteſtatem accepiſſe: hoc autem *aperto Dei imperio ab ipſo nominatim & proximè profectò* ſtatutum fuiſſe.

Vbi ſuprà p. 73. Hunc caſum ſi excipias, *Rempublicam gubernare* (inquit ille) *ac leges integris hominum ſocietatibus ciuilibus conſtituere, adeò ad ipſas illas integras ſocietates pertinet, vt ſi quis Princeps aut Dynaſta id ſibimet aliunde vſurparet, quàm per authoritatem ab illorum, quibus leges imponit, conſenſu primitùs deriuatam, non alio quàm ty-*

rauni nomine ſit cenſendus. Sic ille. Atque ita ipſimet authores noſtri doctrinam fundamentalem Theodidacti, quam vult ſupremi Dominatus baſim & columnam eſſe, euertunt, eoſque qui poteſtatem tanquam à Deo ac naturâ ad ſe deriuatam, non conſenſu populi tributam, accipiunt, tyrannos proclamant. Cui eorum ſententiæ rationes validæ non deſunt. Ipſeque in primis nationum omnium vſus, quæ Regiam authoritatem ab vna familia in aliam non raro tranſtulerunt, eiuſque limites nunc auxerunt legibus, f nūc reſtrinxerunt. Nam ſi diuinā ſolūmodò legem ſpectemus, cur Hiſpaniæ potiùs quàm Venetiæ ab vno gubernentur? in Anglia mulieres ad Regni ſucceſſionem admittātur, in Gallijs excludantur? in Scotia regnum ad ſanguine proximum deuoluatur, in Polonia verò à libera Ordinum electione dependeat? Quid cauſæ eſt, vt recepto iure gentium, ob ſui Principis crimen f tota Reſpub. plecti & in ſeruitutem redigi poſſit? Cur ſubditis Principum ſcelera tribuantur, ſi neque in illorum arbitrio fuerit eos initio admittere, neque poſtea ijs carere? Sine

f *Poteſt tota Reſp. puniri licitè pro peccato ſui Regis, etiam ſi omnes ſint innocentes. Victor relect 3. de poteſt. ciuil. Molin tom. 1. tract. 2. diſp. 120.*

dubio generalis humani generis vox eſt, ius habere Reſpublicas, vt ſibi Principes & inſtituant, & ob iuſtas cauſas abrogent, ac propterea prouincijs exteris obnoxij ſunt, ſi cum earum iniuria quempiam vel ad regnum admittant, vel ipſis nullo ſuo merito infeſtum & incorrigibilem non amoueant. Hinc illa in ſubditis vehemens ad dimicandum pro Principibus voluntas, quòd ſuum publicumque Reipublicæ ſuæ de Principe iudicium armis ſe tueri arbitrentur.

Philanax.

Negari non poteſt conſenſum Reipublicæ, ſeu liberum, ſeu iuſto bello & armis expreſſum ad authoritatem Principi reconciliandam requiri: *Veruntamẽ iſta,* inquit Theodidactus, *authoritatis Regiæ fontẽ primariũ nõ attingunt. Sicut enim calor & humor, & frigus ſiccitaſque, & quæ ex horum omnium mixtione oritur corporis noſtri ordinata temperies, præparationem quandam habent, accommodationemque corporis ad ipſam animam ſuſcipiendam, cuius artifex eſt & creator Deus: Ita ad imperium capeſſendum idoneos*

Dial p. 45.

idoneos quodammodo reddit ius ſucceſsionis & victoriæ; ipſius tamen poteſtatis author primarius ſolus Deus meritò cenſetur. Iam quemadmodum iſta Principum poteſtas à ſolo Deo, tanquam authore promanat; ita eiuſdem benè vel malè adminiſtratæ ra[tio] ſoli Deo, non mortali alicui creaturæ, reddenda eſt.

Ariſtobulus.

Hæc Theodidacti ratiocinatio fundamentum Regiæ poteſtatis in alio incerto conſtituit, & apud Theologos controuerſo; Vtrum ſcilicet in creatione Regum noua poteſtas à Repub. producatur, an ab ipſo Deo pariter cum humano genere creata communicetur. Nonnullis videtur Rempublicam, cùm Reges creat, nouum quoddam poteſtatis genus, quod antea non exſtabat, educere: vnde concludunt, Reipublicæ altiorem quandam poteſtatem ineſſe, quàm Regibus, quibus authoritatem confert. Alij, quibus magis aſſentior, exiſtimant, authoritatē Regiā à Deo proximè cum humana natura creatam fuiſſe, ac liberæ cuique Reipub. formaliter ineſſe, quæ ſi

Molin. de Iuſt. & iure tom. 1. tract. 2. diſp. 26. Driedo de libert. Chriſtiana l. 1. c. 15. Vict. relect. de poteſt. ciu. n. 8. Couar. de pract. quæſt. c. 1. n. 6.

Regem

Regem ſibi conſtituat, non producit nouum aliquod poteſtatis genus, ſed ſupremam illam ac Regiam authoritatē, quam à ſe creatam Deus illi dederat, in eum tranſfert, quem ſibi voluit præeſſe; qua poteſtatis Reip. cum ipſo coniunctione Rex efficitur, ſicut parentes liberos procreant, non quòd animam, quæ à ſolo Deo creatur, producant, ſed quòd eam creatam corpori per generationem parato ac deſignato coniungant. Qua ratione verum eſt illud S. Pauli: *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* attamen cū ſingularib⁹ perſonis abſque hominum opera non communicatur. Hinc illud Tertulliani à Dialogiſta citatum: *Inde illis poteſtas, vnde ſpiritus.* vtrunique quidem à ſolo Deo creatum; ſed ſicut ſpiritus abſque parentum opera corpori non infunditur, ita nec Regia poteſtas huic ſingulari perſonæ ſine conſenſu Reipub. confertur. Quare etiam ſecundùm hanc opinionem, non minùs debent Reges authoritatem ſuam acceptam ferre Reipublicæ, quàm filij parentibus naturam, cui materiam tantummodo determinando, eamque animabus inducendis aptando cooperatur. Caret igitur fundamento, tum quod

Rom 13.

Pag. 46.

quod *Theodidactus* docet Reges authoritatem ſuam ſoli Deo acceptam ferre, tũ ratio, qua indè probare nititur eos eſſe ab omniũ poteſtate exemptos. Quemadmodũ, inquit ille, *Principum poteſtas à ſolo Deo tanquam authore promanat, ita eiuſdem benè vel malè adminiſtratæ ratio ſoli Deo, non mortali alicui creaturæ, reddenda eſt* Quis non videt huius concluſionis imbecillitatem, etiam antecedente conceſſa? Nam anima hominis à ſolo Deo creatur; de dictis tamen eius & factis Superiori mortali ratio illi reddenda eſt. Poteſtas Patris in filios, viri in vxorem, à Deo ſolo eſt: poteſt tamẽ eius benè vel malè adminiſtratæ rationem ab ijs exigere Reſpublica: imò verò hanc ipſam poteſtatem, quando in coniugem aut liberos per tyrannidem abutuntur, poteſt Reſpublica vel ad certos limites reſtringere, vel omninò tollere. Itaque vt paucis rem totam concludam: *Saulem* ac *Dauidem*, aliumue quempiam Regem à Deo ſolo poteſtatẽ accepiſſe incertum eſt: hinc verò (etiamſi certum eſſet) velle concludere, eandẽ de reliquis Regibus habendam eſſe rationem, vanum eſt. Reges Deo ſoli, non concurrente per conſenſum Repub. poteſtatem

teſtatem ſuam acceptam ferre, probabile non eſt. fac verum eſſe: non poteſt tamen ſuprema huiuſmodi poteſtas ex hoc principio deduci, cùm aliqua poteſtas, quæ à ſolo Deo ſit, mortalem ſuperiorem agnoſcat. Putaſne *Theodidactum*, niſi authoritatem Regiam concidere cuperet, eam ſuper hunc arenæ cumulum tanto ſtudio ac labore collocaturum fuiſſe?

Philanax.

Sed vereor, ne dum Principes per conſenſum Reip. creari doces, Maieſtati Regiæ nonnihil detrahas, ac reuerentiā, venerationemque debitam imminuas.

Ariſtobulus.

Nihil minùs, imò potiùs augeo. Nam ſi homines ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſint filij Dei, atque etiam quidam in terris Dij, maximè ob ſupremam illam, quam ad ſe, createſque res omnes regēdas habent authoritatē; cùm hæc diuina quædam Maieſtas à Republica ad vnum aliquem integrè transfer-

transfertur, quàm ſacer atque omni veneratione dignus exiſtimandus erit? Sicut in prima mundi molitione, aquis, quæ ſub firmamento erant, in vnum locum congregatis, vaſtus hic Oceanus productus eſt: ita cùm cœleſte ſupremæ poteſtatis donum, quod per omnes liberas Reſpublicas diffuſum erat, communi conſenſu, ſingulis eam ſibimet abrogantibus, in vnum cōfertur, fit ille fons quidam vel potiùs Oceanus Maieſtatis ac poteſtatis: quæ, ſi perſonam ſpectes, in qua ſita eſt, ac modum, quo confertur, humana eſt; ſi verò fontem ac originem, vnde hæc Maieſtas proximè cōſurgit, diuina. Quare non malè Poeta: *Gen. 1.*

—terræ Dominos pelagíque futuros
Immenſo decuit rerum de Principe naſci.

Philanax.

Mihi ſatisfactum eſt: iam planè video immediatam hanc poteſtatis à Deo acceptionem, præter inanem titulum nihil eſſe, quem ſua Maieſtas, cùm in ipſo vera gloria ſit, facilè contēnet. Deſipuit ſanè *Alexander*, cùm inaniter

niter ambiuit, vt *Iouis* filius exiſtimaretur, eaque re, quos in vniuerſi orbis dominatu acquirendo ſibi maximè neceſſarios ſenſerat, eorum animos à ſe penitùs fecit alienos.

Ariſtobulus.

Imò verò res non eſt inanis modò, ſed etiam authoritati Regiæ pernicioſa. Sicut enim Hercules Gigātem, quem ad terram proſternendo debellare non poterat, ſublimem in aere ſuffocauit, ſic iſti Regiæ poteſtatis hoſtes, quam, verbis infra, vulgus ipſam deprimendo, è medio tollere non poterant, tricis quibuſdam adulatorijs ad cœlos leuant, quò periculoſiùs ruat. Dum enim Reges immodicè ſupra capita ſubditorum extollunt, longiùs eos ab eorum cordibus amouent, è quibus (quicquid adulatoribus videatur) proximi poteſtatis eorum, ac ſecuritatis fontes petendi ſunt. Monarchę, qui ſubditis exoſi ſuam incolumitatem in terrore poſuerunt, erroris ſui triſtia documenta poſt ſe reliquerunt. Veriſſimum namque eſt illud hiſtorici, *Nullum ſtabile regnum, niſi beneuolentia munitum.* Nemo diuti-

Æmilius Probus in Dione.

diutino tempore regnum obtinere poteſt, qui ſubditorum beneuolentia ſeptus ac vallatus non ſit. Humanus amor ad inferiores facillimè ſe demittit, qui vel ſint inferiores naſcendi ſerie, quæ ratio eſt, cur tantopere liberos noſtros amemus, vel ſpontanea ſubiectione, qua ſe noſtris obſequijs deuouent: nec vllum immenſa Dei ſapientia modum aptiorem inuenit hominum animos ſibi deuinciendi, quàm vt ad vitam ac naturam ab homine capiendam ſeſe demitteret, ac *nomine filij hominis* gloriaretur, tandemque vita omni in humani generis obſequiū peracta, ſummum charitatis munus, mortem, inquā, ipſam eius cauſa ſubiret. Credi vix poteſt, quàm rapiat homines in ſui amorē Maieſtas, quæ ſe & ab illis ortam, ac eorum commodis deuotā profitetur. Quo perniciosior cenſenda eſt hæc noua doctrina, quæ duos hos popularis erga Principem amoris fontes exhaurit, eumque docet appellationem humanæ creaturæ (quā tamen ei S. Petrus attribuit) dedignari, potiùſque ſupremum in eorum vitas ac bona omnia dominatum affectare.

Aliter ſe geſſerunt, aliter de ſeipſis

pſis profeſſi ſunt Romani Imperatores, qui fœliciter ac diu Imperio potiti sũt, nec demum cruda & intempeſtiua morte perierunt. Libenter enim Imperium Senatui populoque acceptum ferebant: ſubditis longè magis quàm ſibi conſulebant: coniurationes in ſuum caput & vitam, quæ cum Reipub detrimento coniunctæ non erant, negligere videbantur. Spectatiſſimus inter hos fuit *Traianus* ille, qui lectus ad Imperium coram Cõſulibus fidem ſuam Reipub. iureiurandò aſtrinxit: cùmque Prætori eius nomine Rempublicam adminiſtraturo enſem de more traderet, his eum verbis affatus eſt; *Accipe gladium, quem pro me, ſi bene atque ratione imperauero, diſtringes, ſin minus, eo ad interitum meum vtere.* Qua tum Imperij, tum vitæ in Reipublicæ manus quadam quaſi conſignatione magis vtrumque ſibi ſecurum reddidit, quã ſi iuſiurandum exegiſſet ſe ſoli Deo acceptum Imperium ferre.

Plinius in Panegyr.

Dio in Traiano.

Philanax.

Oſtendiſti primam Theodidacti propoſitionem, neque ſolidum ſupremæ poteſtatis fundamentum eſſe, neque cõ-

fouendæ

fouendæ in ſubditorum animis erga Reges beneuolentiæ opportunam. Iam ad ſecundam diſcutiendam tranſeas velim: *Reges* ſcilicet *ſuperiorem, qui in ipſos animaduertere poſſit, excepto Deo, neminem habere aut agnoſcere.*

Ariſtobulus.

Pergit hic Theodidactus ſupremã poteſtatem vel in apertis erroribus, vel vanis quibuſdam incertitudinibꝰ aſtruere. Nam Regem neminem habere ſuperiorem, qui poſſit in ipſum animaduertere, docti omnes tum Pontificij, tum Puritani, tum Proteſtantes negant.

Philanax.

Vehementer admiror, quòd dicis Proteſtantibus videri poteſtatem aliquam in terris eſſe, quæ poſſit in Regem animaduertere. Puto te dicere velle Puritanos, non verò Proteſtantes, quibus nihil antiquius eſt, quàm fidem authoritate Parlamenti ſtabilitam profiteri.

Ariſtobulus.

Proteſtantes dico, qui & Puritanis aduer-

aduerſantur, & receptam in Anglia fidem ſequuntur. Et quò magis mireris, addo, quòd tametſi illa *Supremi Gubernatoris & capitis Eccleſiæ* appellatio apud Anglos obtineat, re tamen vera Theologi noſtri nil ampliùs auctoritatis in cauſis Eccleſiaſticis, Regibus concedunt, quàm ipſi Pontificij. Nolo mihi fidem adhibeas, niſi hoc quod aſſero ipſis eorum teſtimonijs, qui nuper hac de re ſcripſerunt, apertum fecero.

Quod ad ipſum titulũ attinet, aſſerũt Regem ſpirituale͂ poteſtate͂ Eccleſiaſticã nullam habere. *Poteſtas eius* (inquit *D. Mortonus* iam Epiſcopus Cheſtrienſis) *corporalis tantùm eſt, nec vltra corpus ſe extendit.* Rex *nullam* (inquit Buthillus) *habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam, neque in foro interiori, neque in foro exteriori.* Poteſtas eius merè temporalis eſt, ac laica, nec in ſe ſpiritualis eſt, quamuis ipſa materia & obiectum ſpiritualia ſint. *Nõ habet* (inquit Thompſonus) *primatũ Eccleſiaſticũ aut ſpirituale͂ quaſi formaliter, ſed quoad ſpiritualia, i. obiectiuè & materialiter.* Imò nec maiorem poteſtatẽ ei tribuunt, quàm Iudæis, Infidelib. aut Turcis Principibus in Chriſtianorum Eccleſias, quę apud

Confut p. 3. & 36.

Reſp pro Tortura Torti p. 239.

Elencho refut. p. 51. & 155.

apud ipſos ſunt *Omnes Principes*(inquit Thõpſonus) *etiã Pagani obiectiuè habẽt ſupremam poteſtatem in omnes perſonas ſuorum ſubditorum, & generatim in res, ſiue ciuiles ſint ſiue ſacræ, non eſt abſurdum Regem velut Ethnicum eſſe Primatem Eccleſiæ.* p.78.94.

Quoad res in fide controuerſas Decanus Lichfeldienſis D. Tokerus, impudẽs dicit eſſe mendacium Becani, quòd Anglicani Proteſtantes conſtituant *Regem caput Eccleſiæ & Primatem, omniumque cauſarum, quæ ad fidem & religionem pertinent, iudicem. Reges Chriſtiani*, inquit, *non ſunt fidei & religionis iudices. Erat Apoſtolorum & indicere concilium, & ſtatuere cum verborum ſolemnitate, viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Lex Apoſtolica* (inquit concordia Anglicana) *habuit vim legis Eccleſiaſticæ ſine afflatu auræ Cæſareæ, ſed non habuit vim corporalibus pœnis coactiuã. Authoritas*, inquit Mortonus, *tum Regia, tum Imperatoria in cauſis ſpiritualibus non protenditur vlteriùs, quàm vt eas exteriùs tueatur, non vt ipſa per ſe illas adminiſtret: neque Rex in Anglia ampliùs quicquam ſibi vendicat, neque ſubditi concedunt.* Apertiſſimè Barlous nuper Epiſcopus Lincolnienſis: *Rex in rebus fidei controuerſis*, inquit,

Duel. contr. Becan p. 3. *p. 313.* *p. 41.* *Concord. Angl. p. 43.* *Loco ſuprà citato.* *Reſp ad anonym. Cathol. p. 171.*

quit, *non habet iudicium definitiuum, vt quid in Theologia probè fundatum ſit, decernat: Sed cùm Eccleſia de rebus fidei ſententiā tulit, iudicium habet executiuum, vt ſubditos ſuos ad eā amplectendā, imperio cogat.* Et quid aliud Pontificij docent? nēpe hæc eſt illa ipſa doctrina, quam non ita pridem Archiepiſcopus noſter Bancroftus, cum cōtemptu reiecit vt Regibus iniurioſam, quòd nō alio loco, quàm *Carnificum Eccleſiæ* haberentur, ad eius voluntatem exequendam.

Bancroft. de ſancta diſcip. p. 254.

Tertiò, quoad huius poteſtatis munera docent *Regem poteſtatem non habere per cenſuras aliquem ex Eccleſia eijciendi, ſed ipſius munus eſſe corporalibus pœnis caſtigare, quibus Epiſcopi cenſuras impoſuerūt. Beneficia autem curata vel non curata* (inquit Tookerus) *non conferunt omninò in quempiam maiora minoraue; multò minùs dignitates Eccleſiaſticas ſiue Epiſcopatus. Eorum certè collatio vel inſtitutio eſt, qualium eſt deſtitutio i. Epiſcoporum comprouincialium, qui poteſtatem habent perſonas ipſas ſacrandi. Hoc habet iuris Regia Maieſtas, quod minor ac ſubordinata poteſtas habet, ius*, inquam, *nominandi ac præſentandi, apud nos.*

Tortura Torti, p. 151. Took duel. p. 15. Thompſ. in elench. p 85. Duell p. 36.

Quar:

Quartò, quantum ad ſubordinationē, qua Reges Epiſcopis quodammodo ſubijciuntur, Barloo mirum in modum placet illud Ambroſij, *In cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare.* Lichfeldienſis Decanus citatus profitetur *Regem non habere quicquam antiquius & honorificentius, quàm vt cum Valētiniano filium ſe Eccleſiæ profiteatur, ſeque alumnum Epiſcoporum & diſcipulum recognoſcat* Quid amplius volunt Pontificij? nunquid igitur illius erit patres, iudices, ac magiſtros ſuos docere in ijs ipſis, in quibus eorum eſt & filius, & pupillus, & diſcipulus? Demum addit Barhillus: *Supremus Eccleſiæ gubernator poteſt eijci ex Eccleſia.* Et iterum: *Quod Ambroſio licuit in Theodoſium, idem & alijs in Regem ſimili de cauſa licet*. Et quid quæſo in Theodoſium fecit Ambroſius? Ex Eccleſia per ſententiam eiecit: adfuit paratus aditu eum per vim prohibere, publicè tyrannum appellauit: coëgit etiam ſæcularem legem condere, quò quis in ſententijs capitalibus modus obſeruandus eſſet, decerneretur: è loco Sacerdotibus aſſignato diſcedere iuſſit, & in mediam Eccleſiam cum laicis oraturum

Reſp. ad anonym. p. 172. *Ep.* 32. *ad Valentinianum.* *Duell. p.* 312. *Reſp. pro Tortura p* 242. *p.* 137. *Theodoret l.* 9. *hiſt. c.* 30. *Ruffin l.* 11. *c.* 18. *Niceph l.* 12. *c.* 4.

deſcendere. Poſſetne pœnas eaſdem ſuæ Maieſtati imponere Cantuarienſis Archiepiſcopus? *imò verò* (ſi Epiſcopo Elienſi credimus) *forſitan etiam Papa Regē excommunicare poteſt, & communibus Eccleſiæ bonis priuare.*

Tortura Torti p. 151.

Videſne quot cenſuris Regem Proteſtantes obijciunt? Non video ſanè, quæ Religio Regibus maiorem authoritatem tribuat, eóſque paucioribus ſuperiorib⁹ obnoxios faciat, quàm Pontificiorum. Puritani cuilibet Parocho Conſiſtoriū habenti eum ſubditum eſſe volunt, vt meritò de illis pronunciauerit Archiepiſcopus Bancroftus, quòd *vnum Papam expellant & inducant mille*. Proteſtantes verò eum Epiſcoporum ſuorum cenſuræ indefinitè ſubijciunt: cùm tamen g Pontificij, reuerentia erga Maieſtatem Regiam ducti ſoli Paſtori ſupremo Regem excommunicandum ac cenſura ligandum reſeruent.

De ſancta diſcip. p. 254.

g. Reges non niſi à Papa excommunicantur & cenſuris ligantur Emā. Saa. v. excom. 15. Enriquez l. 15. de excom. c. 14. Sayr. Theſaur. l. 1. c. 9. n. 7.

Sed vt ad Theodidactū reuertamur: vides vt pergat fidelitatem Regibus debitam ſtabilire propoſitionibus, quæ vel controuerſæ ſunt, vel ab omnibus cuiuſcunque demum fidei ſint, reijciuntur: iam enim probauimus ſecundam eius propoſitionem, *Reges neminem ſuperio-*

rem

em agnoſcere, qui poßit in ipſos animaduertere, magis incertam ac falſam eſſe, quã primam, *Reges poteſtatem ſuam ſoli Deo acceptam ferre.*

Philanax.

Videtur ex tuis verbis colligi *Theodidactum* plus authoritatis Regibus tribuere, quàm reliquos Proteſtantes, & contra cæteros docere Regem excommunicari non poſſe, nec ab Eccleſia eijci. Nam Reges h *ab omni pœna liberos facit, quæ poßit ab hominibus infligi.* Epiſcopi autem ſine dubio homines ſunt, excommunicatio verò pœna grauiſſima. h p. 58. 59.

Ariſtobulus.

Difficile eſt intelligere quid Theodidactus velit. Hoc enim fundamentum; *Reges neminem ſuperiorem præter ſolum Deum agnoſcere*, adeò lubricum eſt & incertum, vt eidem nec ipſemet conſtanter inſiſtat Alibi enim in hoc ipſo Dialogo, quod modò dixerat, euertit, & apertè profitetur, *Reges quicunque Chriſto dederunt nomina, ipſius gregis oues cenſendos eſſe, ac proinde ſuis Paſtoribus, qui*

animarum ſaluti inuigilant, obedire & ſubiacere debere, quamdiu pro Chriſto legatione funguntur: Reges Sacerdoteſque etiam aſſerit eſſe ſibi inuicem & mutuo Paſtores. Hoc autem qui verum eſſe poteſt, ſi Reges neminem ſuperiorem præter Deum habeant? Et ſi *nihil in hoc mundo excellentius Sacerdote, nihil Epiſcopo ſublimius reperitur* (vt Theodidactus Ambroſij dictum approbans conſentit) in ſpiritualibus nimirum & Eccleſiaſticis cauſis, ad quas adminiſtrandas legatione funguntur, quomodo poteſt in iiſdem ipſis cauſis Rex Epiſcopo præſtare? fierine poteſt, vt idem ipſe ſubditus & ſuperior ſit eiſdē perſonis, quoad idem ipſum forum? fateor me hanc Theologiam non capere; ſuperiores poſſe à ſuis ſubditis iudicari, iiſdem ipſis in cauſis, in quibus ſunt ſuperiores: *Regem ſupremum Eccleſiæ gubernatorem poſſe per ſententiam citari, condemnari, & ab Eccleſia per Epiſcopum eijci.* Si Principes ſupremi poſſint à ſuis ſubditis iudicari, ijs in cauſis, in quibus ipſi ſupremi ſunt, & à nullo pendent, quid ipſos iuuat ſuprema poteſtas? Si ſummus Eccleſiæ gubernator poſſit ab Eccleſia per ſuos Epiſcopos eijci, qui ſunt ſpirituales ipſius ſubditi, quod diſcriminis poterit

p. 59.

Ambr. de dignit. Sacerd. c. 3.

poterit afferre *Theodidactus*, cur pari ratione non poſſit ſupremus Princeps è regnis per optimates, qui temporales illius ſubditi ſunt, expelli?

Philanax.

Cuperem ſanè, vt authores noſtri de ſuprema Regis poteſtate conſequentiùs loquerentur, ſed cùm tota *Theodidacti* ratiocinatio hóc fundamento nitatur, quòd Rex neminem excepto Deo ſuperiorem agnoſcat: hocque ſi verum ſit, Regiam Monarchiam valde extollat, non me patiar ab eo diuelli, niſi Theodidacti rationibus confutatis oſtẽderis hanc ſententiam vel apertè falſam eſſe, vel infirmam.

Ariſtobulus.

Quamuis ab huiuſmodi quæſtionibus examinandis libenter abſtineam; tamen in tuam gratiam, & quia Regum intereſt, vt ipſorum authoritas incertis opinionibus non exponatur, conabor huic petitioni ſatisfacere. Nec ſanè magna requiritur ſacrarum literarum peri-

tia, vt oſtendatur Theodidacti pro Principum Eccleſiaſtico primatu argumentationes non eſſe eiuſmodi, vt in illis Regum temporalis authoritas fundanda videatur. Vel enim nihil ad rem faciunt, vel id tantùm probant, quod Pontificij non negant, Regem in temporalibus ſupremam poteſtatem habere.

p 46 Præcipuum eius fundamentum eſt; In antiqua Lege Sacerdotes in Reges poteſtatem non habuiſſe, ſed potiùs fuiſſe Regum iudicio ſubiectos.

Potuiſſetne propoſitionem magis incertam, ne dicam falſam aſſumpſiſſe? huic etenim ſententiæ doctiſſimi Iudæorum obſiſtunt. Ioſephus teſtatur, *Sacerdotes res maximas adminiſtraſſe, iiſque cõcreditam fuiſſe curam præcipuam, eos inſpectores omnium, & controuerſiarum Iudices, & condemnatorum punitores conſtitutos fuiſſe*. Scribit Philo *Sacerdotalem dignitatem* à Iudæis regiæ præferri, *quantoque Deus anteſtat homini, tantò Pontificatũ regno eſſe excellentiorem*. Nec minùs repugnant Chriſtiani Patres. In primis Chryſoſtom. qui ſcribit, *Reges ſubmittere capita manibus ſacerdotum, vt intelligatur Sacerdotium Regno maius eſſe*. Aduerſantur etiam (vt mihi videtur) ſacræ literæ,

Lib 2 cõt. Apionem.

De legat. ſua ad Caium.

Hom 4. ſuper verba Iſaiæ: vidi Dominũ.

teræ, quæ Sacerdotale munus à Regio diſtinguunt, Sacerdoti ſummo, *quæ ad Deum pertinent*, Regi temporalia aſſignantes. Quis autem, qui Teſtamentum antiquum euoluerit, ignorat Sacerdoti ſummo ſupremam poteſtatem datam quæſtiones omnes circa legem controuerſas terminandi? *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis moriatur homo ille.* 4 Reg. c. 22. Deut. 17.

Philanax.

Hæc Scripturæ Patrumque teſtimonia valida videntur. Quid ad illa Theodidactus?

Ariſtobulus.

Nihil: nec in ſuam ſententiam aliud quippiam attulit, præter *nudum exemplum Salomonis, qui Abiathar ſummum Põtificem amouit, eique Sadocum ſubſtituit.* Dial. p. 47.
Primùm autem non probat, Salomonẽ legitimè iuſteque feciſſe, nec ſuæ poteſtatis limites non exceſſiſſe. Regum facta non ſemper æquitati planè conſen-

tiunt, nec Salomon ea ſanctitate fuit, vt res eius geſtæ omnes ſine quæſtione probari debeant. Deinde nec probat *Theodidactus* Salomonem id communi Regum iure potuiſſe: cùm tamen Pontificij doceant id non Regia, ſed Prophetica poteſtate factum. Quam reſponſionē *Theodidactus* non refellit, ſed perperam intelligit, ac ſi dicerent Salomonē ideò Prophetam fuiſſe, quòd volūtatem diuinam à Deo aduerſus domū Heli prędictam adimpleſſet: quod iocoſo argumento reijcit. Nā eadē, inquit, ratione dici poſſet *Herodes Propheta, qui vaticiniū Hieremiæ infātes Bethleemiticos trucidādo impleuit.* ſed non ita delirant Pontificij, vt aſſerāt eū, qui Prophetiā aliquā impleuerit, hoc ipſo Prophetā eſſe, vel Iudā prophetā fuiſſe, cùm Dominū ſuū prodidit, ac ſe laqueo necauit, quāuis in hoc Prophetias impleuerit. Dicunt autē Deum, vt quod aduerſus domum Heli cōminatus fuerat, impleretur, propheticā & extraordinariā poteſtatē Salomoni dediſſe ad amouēdū Abiatharē ſummū Sacerdotē ab Heli progenitum, cùm ad hoc legitimè perficiendum authoritas Regia ſufficiens non eſſet. Quæ reſponſio non video qua poſſit ratione falſita-

Sand. l. 2. viſ. mon. c. 3. Staplet. princ. doct. l. 5. c. 3. Bellar. l. 9. de Conc. c. 20. p. 48. Matt. 2.

Act. 1. n. 17.

tis apertæ conuinci. Theodidactus verò cùm eã refutare nõ poſſet, optimũ iudicauit perperã intellectã riſui exponere.

Poſtremò tametſi Salomon authoritate Regia ſummo ſacerdotio Abiathar exuiſſet, nihil inde poteſt inferri eorũ, quæ *Theodidactus* colligit, Principes in rebus ad numen diuinum pertinentibus Sacerdoti ſummo non fuiſſe ſubiectos, vel ob ſpiritualia crimina ad Religionis perniciem tendentia non potuiſſe ab eo deponi.

Ac mihi quidem non ſatis conſideratè facere videntur illi, qui pro Regum authoritate diſputant, cùm ad Teſtamẽti veteris hiſtoriam & exempla prouocant. Inde enim cùm ipſi vnum ſummũ Sacerdotem, eumq; non ſatis probata poteſtate depoſitum à Rege commemorent: duos ſupremos Principes à ſummo Sacerdote teſtimonio ſancti Spirit° legitimè depoſitos in ijſdẽ reperimus. 2. Reg. 11.
Nonne *Ioiada* ſummus Pontifex *Athaliã* Reginã regno priuauit, ſentẽtiã mortis in eam dixit, eique *Ioas* Regẽ ſubſtituit? Nonne ſũmus itẽ Pontifex *Azarias* 2. Paral. 26.
Regẽ *Oziã* tẽplo eiecit, & adminiſtratione regni priuauit, quòd incẽſũ offerendo Sacerdotale munus inuaſiſſet? Quid

opus erat Theodidacto aduerſarios ad Pontificiam authoritatem duplicatis exemplis aſtruendam prouocare, quibus refellendis ipſi valde laborandum eſſet? Quod de *Athalia* dicit eam non legitimã Reginam, ſed occupatricem Regni fuiſſe, nec ipſe probat, nec vero probari poteſt. Nã quòd nullo iure (mactata Regia ſobole) Regnũ inuaſerit, non facit, vt poſtmodum legitimum ius adepta nõ fuerit. Etenim qui vel ipſi, vel ipſorum Maiores iniuſtè regnũ inuaſerint, *fiunt legitimi principes, ſi ſucceſſu temporis populus conſentiat & eos admittat;* quamuis non deſit fortaſſe, qui reipſa coram Deo potiore iure ſanguinis vtatur. Nec dubium eſt, quin Athalia communi cõſenſu ſpacio ſex annorũ admiſſa fuerit, dũ adhuc *Ioas* lateret, nemine illi quæſtionẽ de regno apertè mouẽte. Hũc verò conſenſũ coactum fuiſſe, non liberum, nec probari poteſt, nec dilucidè refelli. Quare *Theodidacti* ſolutio fundamentis incertiſſimis nititur.

Dial p. 52.

2. Reg. 11.

Suar. de leg. l. 3. c. 4.

Eius verò ad ſecundum exemplum reſponſio, quòd Ozias à ſummo Sacerdote templo dicitur expulſus, *id verò de voce tantum, modo & hortatu accipiendum*, multò infirmius eſt, & meo quidem iudicio

p. 50.

dicio

dicio ſacrarum literarum verbis apertè contradicit. Docent enim, vt Oziani ab incenſo offerendo prohiberent, ingreſſos cum *Azaria* templum octoginta Sacerdotes *viros fortiſſimos* vtique non alia mente, quàm vt vi agerent. *Neque enim vt Regem eiecturus* (inquit Chryſoſtomus) *ſed vt profugum & ingratum famulum expulſurus cum auſteritate ingreſſus eſt; non aliter, quàm generoſus canis incurrit ad impuram beſtiam, vt illam exigat ex ædibus heriliibus*. Monuere primùm, vt deſiſteret ac diſcederet: verùm eorum monita contemnentem Deus extemplò lepra percuſſit. *Cumque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & feſtinatò expulerunt eum ſed & ipſe perterritus accelerauit egredi.* Primùm igitur inuitus cœpit expelli: demum conſentiens eductus è templo eſt.

2. *Paral.* 26.

Hom. 5 *de verb. Iſa.*

2. *Paral.* 26.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Philanax.

Quomodo per vim eum Sacerdotes expulerunt, cùm *Chryſoſtomus dicat Sacerdotis eſſe tantũ arguere, liberãq; præ-* ſtare

De verb. Iſa. vidi Dominũ, hom. 4.

ſtare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vſurpare, non vibrare lanceas, nec arcum tendere, nec iaculum mittere, ſed tantùm arguere & liberam præſtare admonitionem?

Ariſtobulus.

Illud Chryſoſtomi, quod tantoperè Theodidactus extollit, verum non eſt in Leuiticis Sacerdotibus, qui vt reliquæ trib. bellatores fuerunt, & ad ſacerdotalem dignitatem electi, quòd manus ſuas Domino in ſanguine peccatorũ conſecraſſent; ſed in Chriſtianorum ſacerdotio, quod ipſi figurabant, quodq; z *cruentas refugit vltiones*. Sed hoc nihil contra id, quod dictũ eſt *Oziæ* per vim expulsũ. Nam eidem ipſi Chryſoſtomo probatur à Chriſtianorum Sacerdotibus improbos Reges ex Eccleſia vi manuum, atque etiam interiectu corporum excludi. ſic a ipſe *Eudoxiæ* Imperatrici reſtitit. ſic b B. *Ambroſius* ad agendum vi contra *Theodoſium* paratus fuit. Idem S. Chryſoſtomus ad cœlum laudibus extollit eximium illum Patriarcham Antiochenũ ac Martyrem *Babylam*, quòd ſanguina-

Exod. 32.

z *Leo ep. 91. & 23. 9. & 8. can. 1. de ſeq.*

a *Vita Chryſ per Simeon Metaph. tom. 1. p. 152.*

b *Paulin. in eius vita & Theodoret. l. 5. c. 19.*

Digitized by Google

rium Imperatorē *impacta in pectus dextera* Eccleſiæ ingreſſu prohibuerit. *Quo facto* inquit, *planum fecit, quantò inter ſe interuallo Sacerdotiū & Regnū diſſideāt: Reges docuit nihil vltra modum ipſis à Deo datā poteſtatē promouere: Sacerdotibus p'anum fecit, vt principatui huic præeſſe oporteat.* *Aduerſus gentiles, ſeu orat. de S. Babyla, tom. 5 p. 188. Ib. in fine.*

Philanax.

Video negari vix poſſe, quin Sacerdotes Regem per vim templo eiecerint: ſed *eum regni authoritate non priuarunt, quam certum eſt eum ad extremum vſque ſpiritum retinuiſſe*; nam Ozias *quinquaginta duobus annis regnauit in Hieruſalem*, quod verum eſſe non poteſt, niſi dies, quibus lepra laborauit, in partem regni ſupputentur.

Ariſtobulus.

Huic *Theodidacti* obiectioni S. Chryſ. (quē in patronū ſibi elegerat) eadem ipſa homilia reſpondet, Oziam poteſtate Regia fuiſſe priuatum, ſententiam tamen à ſubditis executioni non fuiſſe *Hom. 4. de verb. Iſa vidi Dominū.*

manda-

mandatam. *Non enim*(inquit) *eiecerunt eum è ciuitate, diadema illius regiamque dignitatem reueriti, ſed conſedit in throno rurſum legem tranſgrediens.* Populum autem grauiter in Deum peccaſſe, quòd Regem per vim ab adminiſtratione non amouerint, idem Pater teſtatur his verbis: *Hoc ad iracundiam* (inquit) *Deum pro-* Hom. 4. & 3. *uocauit, hoc prophetiam inhibuit: verbum pretioſum erat. Tu verò hic mihi conſidera Dei humanitatem. Non enim ſubuertit ciuitatem, non perdidit inhabitantes: ſed quod amici faciunt erga æquales amicos, quoties habent aliquid, quod meritò expoſtulent, obiter ſilentio ferunt exſpectantes, hoc & Deus fecit erga gentem maiore ſupplicio dignam. Vos populares metuitis impurum eijcere; reueremini regiam dignitatem, legem Dei violantes; non vultis vlciſci cauſam meam: nec colloquor vobiſcum. Neque enim non poteram illum eijcere; verùm, quod reſtabat, vobis relictum eſſe volui.* Hom. 5. *Ego quidem eieci illum è templo, vos autem ne è ciuitate quidem: ego illum vinctum leprâ è Rege priuatum reddidi; vos autem ne ſi. quidem ſuperaſtis, ſed à me condemnatum non ſuſtinuiſtis è ciuitate propellere.* Ita Chryſoſtomus, qui nimis

nimis apertè fauere videtur ſententiæ Pontificiorum, Principes legitimè deponi à ſubditis poſſe; cũ n. *a* lepra, hoc eſt, *b* hæreſi infecti fuerint, ac tales Eccleſiæ iudicio notati. Hoc enim (vt ipſi dicunt) habet hæreſis particulare, accedente præſertim perſecutione (tũ enim vel maximè lepra quædam eſt & peccatum pernicioſum) vt ſi Princeps nominatim propter eam denunciatus ab Eccleſia eiectus fuerit, *c* teneantur ſubditi, ſi poſſint, periculi vitandi cauſa, *d* ſeipſos ab eius cõſortio ſeparare. Quæ doctrina adeo videtur olim inter Chriſtianos recepta, vt vel ipſi Romani Pontifices, qui ſuum illud priuilegium, *e vt à nemine iudicentur*, ſumma ſemper contentione tuiti ſunt, in iure tamen Canonico diuinũ ius exponentes concedant *f* in caſu hæreſis ab Eccleſia ſe iudicari & deponi poſſe. Neq; verò *Hēricus* ille IV. Imperator in celebri cum *Hildebrando*, ſeu *Gregorio* VII. concertatione, negauit vnquã ſe ob hæreſim deponi poſſe; ſed ita agebat, vt ſe hæreticum non eſſe diceret: ob alia verò crimina non poſſe à Pontifice deponi. *Traditio Patrũ*, inquit, *eſt, me ſolius Dei iudicio eſſe obnoxium; niſi (quod abſit) à Catholica fide deuiarim.* Et per-

a *Hanc pœnam Regem ſicut alium è plebe pati oportebat. Chryſoſt. hom. 4.*

b *Hic animi iam lepra quæritur. Chryſoſt. ib. Aug. l. 2. Euãg. quæſt* 40.

c *Hæreticum poſt vnã correptionem deuita ad Tit. c.* 3.

d *Nulla cũ hæreticis com-*

Digitized by Google

per hæc ſatisfactum putant Pontificij iis, quæ alibi Theodidactus ipſis obijcit. *Si ipſa Pontificiorum placita conſulamus, excommunicationem nec ſeruum Domini, nec filium* Patris *iuri aut poteſtati eximere:* quamuis enim hoc verum ſit in ea excommunicatione, quæ ob alia crimina infertur; ea tamen hæreſis grauitas eſt, eamque vim habet ex ipſa Christi & Apoſtolorum inſtitutione, præſertim quando in ſubditos vi ac ferro graſſatur, vt etiam ſeruos ac filios à ſuis Dominis ac parentibus, qui per Eccleſiam denunciati ſunt hæretici, ſeiungat Apoſtolica quædam conſtitutio, quam refert ſanctus Clemens & mandat, vt Epiſcopi *impios hæreticos ſegregatos à fidelibus eijciant, præcipiantque fidelibus, vt ab eorum conſuetudine omnibus modis abſtineant.* Quamobrem concludunt non magis licere Chriſtianis Principem hæreticum à ſupremo Paſtore denunciatum pati, quàm olim Iudæis licuit Regem tolerare, quem ſummus Sacerdos leproſum declaraſſet. Hunc autem ſolio deturbare obligatos Iudæos fuiſſe aſſerentem iam Chryſoſtomum audiuiſti.

mercia copulentur. Cypr. l.1.ep.3. Iren l. 3.c.3. Tantum Apoſtoli & eorum diſcipuli habuerunt timorem, vt ne verbo quidem communicent cum aliquo eorum, qui adulterauerunt veritatē. e Prima ſedes à nemine iudicatur. Conc. Sinueſſ Synod. Rom. ſub Sixto

Philanax.

Video è veteri Teſtamento, præſertim

tim expoſitore Chryſoſtomo, nõ admodũ luculenter probari poteſtatẽ Regiã à Sacerdotali dependere; nonne validiora argumenta Theodidacto ſuppetunt è Nouo?

Ariſtobulus.

Varia quidẽ adfert Theodidactus teſtimonia; illud in primis: *Omnis anima poteſtatibus ſublimiorib ſubdita ſit*: tũ è SS. Patribus, quòd *Imperator nõ habeat parem vllũ ſuper terrã, ſumm tas & caput omnium homi ũ ſuper terrã*, quæ ſigillatim referre parũ ad rẽ faceret, cũ non ampliùs probent, quã quod Põtificij paſſim cõcedũt. Reges vtiq; intra ſua Regna quoad res ſæculares ſupremos eſſe: oẽs homines etiã (vt ait Chryſoſtom.) *Prophetas, Euãgeliſtas, Apoſtolos Sacerdotes, Monachos*, intra ipſorum Regna degentes, eorum gubernationi, legibuſque, quas ob Reip. bonum inſtituunt, ſubditos eſſe. Probant quidẽ primos illos Chriſtianos, tũ Laicos, tũ Sacerdotes ad vectigalia Imperatori ſoluẽda, & ad pœnas à ſæculari magiſtratu ob crimina infligendas, parere debuiſſe. Nondum enim Sacerdo-

3. Bellar. l. 2. de Pont. c. 25.

f Can. ſi Papa d. 40. Innoc. 4. ſerm. de conſecrat. Pontificum. Epiſt. ad Greg. 7. apud Magdeburg. cent. 10. c. 8. de ſchiſmate. Dial p. 80. l. 1. conſtit. Apoſt. c. 18. p. 54.

Rom. 13.

Sand. l. 2. viſib. monar. c. 4. Perſ. ep reſpon. p. 16. n. 26 & diſcuſſ. con Barl. p 31. Victor, relect. 9, de Poteſt. Eccl. ſect 4. propoſit. 4. p. 59. 60. Bellarm. l. 3 de Põtif. c. 19.

cerdotij dignitas,& ſpeciale *Chriſti* Domini de ijs eximendis præceptum vel ſufficienter promulgatum, vel à Principibus acceptatum fuerat, quod poſtea acceptarunt, vt Sacerdotibus, quorum prædicatione & laboribus ad Chriſtum conuerſi fuerant, gratificarentur.

Sacræ igitur literæ, Patreſque oſtendunt quidem Sacerdotes, etiam ipſos Apoſtolos in temporalibus cauſis Imperatori ſubditos fuiſſe, neq; Pontificij refragantur; Negant autem his Scripturæ Patrũq; teſtimonijs probari Imperatores à fide alienos, de quibus illa ſpeciatim dicta ſunt, in ſpiritualibus quibuſcunq; cauſis fuiſſe ſupremos Eccleſiæ Chriſtianorũ gubernatores; vel ſupremũ paſtoratũ, ad fidei dubia determinanda, congregãda Cõcilia, Chriſtianos inobediẽtes excõmunicandos ipſis fuiſſe cõmiſſum. Argumentantur aũt, Chriſtũ Dominum, ſi Reges ſupremos Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſecundũ ſe gubernatores inſtituiſſet; ſanè cùm prima iecit Eccleſiæ fundamenta, Reges quot ad id operis neceſſarij fuiſſent, prouiſurum fuiſſe: quod cũ non fecerit, non poſſe Reges ex inſtitutione Chriſti partẽ adminiſtrationis aliquã in Eccleſiaſticis rebus vendicare.

Claues

Claues Eccleſiæ, quibus ſumma poteſtas ſignificatur, non Regibus à Chriſto, ſed Petro traditas eſſe, eoque munere ſupremum ſuæ domus adminiſtratorem eum inſtituiſſe. Quare quicunque ſe de familia Chriſti eſſe profitentur, debere ſeſe, gladios coronaſque ſuas clauibus Petri ſubijcere. Animas ſuas, inquies, non corpora, non gladios, non coronas. Sed vrgēt, quod eſt acceſſorium ſemper cōſequi principale: quare cùm Reges perſonas ſuas Eccleſiæ ſubmittunt, coronas etiam & gladios ſubmittant neceſſe eſt, vt non ſolū in quantū homines, *ſed in quantum Reges Chriſto ſeruiant*, vt ait Auguſtinus; qui dicit etiam *Conſtantinum eminentiſſimum culmen Romani Imperij, non animam tantùm, ſed diadema ſuū piſcatori Petro ſubieciſſe*: quò Petri claues temporalem eius poteſtatem ad æternæ beatitudinis conſecutionem dirigerent, eamque reſtringerent, ſi quando ea ad Chriſtianitatis perniciem abuteretur. *S. Aug. epiſt 6.*

Addunt hiſtoriam de Conſtantio Ariano, qui primus videtur ſibi primatum Eccleſiaſticum arrogaſſe. Hic, vt narrat Suidas, cùm quodam in Concilio Epiſcoporū medius rerū inter controuerſarū iudex aliquando conſediſſet, cum Leō- *Suidas verbo Leontius.*

tius

tius Tripoleos Præſul apertè redarguit: *Miror, inquit, quî fiat, vt cùm alijs curandis diſtinearis, alia tractes: cùm enim rei militari & ciuilibus negotijs præſis, tamen Epiſcopis ea præſcribis, quæ ad ſolos pertinent Epiſcopos.* Quæ vox profanum Imperatorem tanto pudore ſuffudit, vt exemplò deinceps ab iſtiuſmodi negotijs abſtinuerit.

Teſtimonijs, quæ plurima Patrum antiquorum adducunt, referendis libēter abſtineo, quia acerbiora videri poſſunt in Reges, qui ſe Epiſcopis in regenda Eccleſia anteponunt. Quòd ſi nimia Patrū ſeueritas offendat eos, qui Regib. addicti sūt, qui ſua ſceptra ſupra Eccleſiā efferunt: ſic etiam alterum extremum vitandum eſt, nimia nimirum mollities & aſſentatio, quæ ſacra iura Eccleſiæq; authoritatem ad Principum terrenorum pedes adulabunda abijcit.

Hæc Theodidacti propoſitio, quē nō meritò pium offendat? *Regem in cœ:ū ſua naui proficiſci,* in qua *Remiges* & gubernatores ſunt ipſius ſubditi, nimirum Epiſcopi, quorum ipſe ſit iudex, eoſque poſſit etiā morte punire, ſi quādo exiſtimauerit illos pro diuina veritate ſuos errores & mēdacia propinare? Paul⁹ certè

Dial. p. 58.

ſi nunc eſſet in terris) Eccleſiam, (quæ nauis eſt ad homines in cœlos tranſuehendos) non Regum diceret eſſe, ſed *Chriſti, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, eiuſq; adminiſtrationem non Regibus, ſed Epiſcopis eſſe concreditam. *Act. 20.*

Si duo illi ſancti & orthodoxi Epiſcopi *Hoſius* & *Ambroſius* viuerent, *ad Imperatorem* Palatia *pertinere*, ad *Sacerdotem Eccleſias* palàm prædicarent. Si iam magnus ille Gregorius Nazianzenus ſuper eſſet, diceret Regibus: *Vos poteſtati noſtræ noſtriſque tribunalibus lex Chriſti ſubijcit; Imperium ipſi quoque gerimus, addo etiam præſtantius atque perfectius.* *Hoſius apud Athanaſ apolog. 2.* *Ambroſ. ep 33.* *Nazian oratione ad Principem iraſcentem.*

Hæc & ſimilia ex Patribus Pontificij congerunt: quæ non ea mente protuli, quod ius Regum imminutum cupiã, ſed vt intelligatur non eſſe prudentiæ, caput & originẽ Regiæ poteſtatis conſtituere hunc Primatum & Regum immunitatẽ ab Eccleſiæ cenſuris, quem Proteſtantes vix probant, Puritani execrantur, Pontificij Patrum ſententijs, ſi non euertũt, certè concutiunt.

Philanax.

Tecum ſentio, Ariſtobule, hunc

Eccle-

Eccleſiaſticum Regum Primatum non eſſe ita firmum, vt in eo caput cauſæ noſtræ conſtituatur. Nihilominus Romanum Pontificem in Reges ius cenſuræ non habuiſſe vt credam, non mediocriter me mouet, quod ſcribit *Theodidactus*, nullum Romanorum Pontificum illud exercuiſſe per mille annos à Chriſti Aſcenſione, nec ante Gregorium VII. aliàs Hildebrandum dictum, qui Henricũ IV. Imperatorem excommunicauit ac depoſuit Anno circiter 1073. Annis ab Aſcenſione Domini amplius mille, vt *Otho Friſingenſis* ijs temporibus proximus teſtatur: *Lego & relego*, inquit, *Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam inuenio quemquam eorum, ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum vel Regno priuatum.*

Otho Friſing. l. 6. c. 35.

Ariſtobulus.

Dogma illud (Reges non poſſe deponi) non ego, mi Philanax, impugnandũ ſuſcepi: ſed contendo, non ita eſſe aſſerendũ, vt cum Theodidacto Regiæ authoritatis fulcrũ ſtatuatur, nec eſſe cõſultũ Reges ad hãc cũ Eccleſia dimicationẽ vocare.

vocare. Nam ad illud, quod adeò te mouet, vide, Pontificij quàm facilè & quàm multa reſpondeant. In primis cùm depoſitio remedium extraordinarium ſit aduerſus hæreticorum Principum perſecutionem, nec vnquam in vſum vocari debeat, niſi cùm conſumptis alijs conſilijs omnibus ad extrema ventum eſt; quid mirum eſt frequētem in Romanos Imperatores eius vſum non fuiſſe? Præterea primis trecentis poſt Chriſtum annis nemo fuit Imperator Chriſtian9, in quē ea poteſtas exerceri poſſet. Proximis ducentis ita Paganis & Chriſtianis mixtū Imperium fuit, vt huius poteſtatis vſum multa prępedirēt. Inſequentib9 verò trecentis in Occidente nullus Imperator exſtitit, ſed in Oriente tantùm, iſq; in Græcia longè à Pontificis Romani conſpectu remotus: quare ad Patriarchas Græcos illa cura proximè pertinebat, vt, cū opus foret, cenſuris in Imperatores agerent. Et verò in aliquot egerunt, non in omnes: nonnulli enim boni fuerunt, ac de Eccleſia bene meriti, reliqui vel Imperium diu non tenuerunt, vel non vſque adeò improbi fuerunt, ac incorrigibiles, vt Eccleſiam ad extremū illud remedium depoſitionis impellerent.

rent. Poſtremò, quòd hæretici nonnulli ac Perſecutores depoſiti non fuerũt, defectũ poteſtatis in Põtificibus nõ arguit, ſed oſtendit circũſtantias tẽporis & perſonarũ forſitan eas fuiſſe, vt vel eius vſum clementia diſſuaderet, vel etiã met⁹ grauioris mali ſuſpenderet.

Quamuis, quod attinet ad dictum illud *Othonis*, cùm non minùs excõmunicationẽ neget, quã depoſitionẽ, miror *Theodidactũ* tam inſignẽ errorẽ hiſtoricũ tranſcribere voluiſſe, ſcilicet nullũ Imperatorẽ Romanorũ ante Henricũ IV. excommunicatũ fuiſſe. Nã, vt omittam, quod ſcribunt authores ſanè graues, *Philippum* Imperatorem truculentũ à *Fabiano* primo Pontifice prohibitum cõmunione fideliũ; *Conſtantiũ* Arrianum à Felice ſecundo excommunicatum, quis negare poteſt *Arcadiũ* Imperatorẽ, & *Eudoxiã* coniugẽ ab Innocẽtio I. excõmunicatos, quòd *Ioanni Chryſoſt* exilij mortiſq; cauſam præbuerint? Anaſtaſiũ, Eutychianũ Imperatorẽ à Symmacho Papa excommunicatũ in Concilio Romano, vt ipſemet Symmachus in ſuo ad Anaſtaſium Apologetico teſtatur his verbis: Dicis quòd mecum conſpirante Senatu

Dial. p. 62.

Euſeb. l. 6. c. 62.

Vide Baron. tom. 3. anno 357.

Niceph. l. 13. c. 34.

excommunicarim te. Iſta quidem ego: ſed rationaliter factum à deceſſoribus meis ſine dubio ſubſequor. *Philippicum* Monothelitã cõſtat excõmunicatũ à *Cõſtãtino* Põtifice, qui precepit etiam ne nomẽ Imperatoris ſcripto alicui publico vel priuato inſereretur, aut in moneta quauis ærea, argẽtea vel plũbea cuderetur. Nec minùs certum eſt *Leonem Iſauricum* à *Gregorio* ſecundo & tertio miræ ſanctitatis Pontificibus excommunicatum, ac, vt quidã dicunt, depoſitum, atq; ita Imperio Orientis priuatũ, ſine dubio vectigalibus Italiæ exutũ. *Lothrium* denique Regem, *Ludouici* ſecundi Imperatoris fratrẽ à *Nicolao* primo Pontifice excommunicatum refert ipſe *Otho* Friſing. qui ob id factum Pontificẽ laudat, & *Sacerdotẽ religioſum, & zelo Dei plenum* appellat. His ſanè exemplis efficitur dictũ illud *Othonis*, in quo tu tantum putas eſſe momenti, neminem Imperatorum Romanorum ante Henricum IV. fuiſſe excommunicatum, apertè cum veritate pugnare. Quo verò conſilio putemus *Theodidactũ* hæc & alia ex authorib' manifeſtè falſa tã ſtudioſè conquirere, quę columnas conſtituat Regiæ poteſtatis?

Marian. Scot ann. 712. Ado in Chron.

Paulus Diac. l. 21. Zonar. tom 3. in vita Leonis Iſaur. Sigebert. 727. Platin. in Gregorio 3

l. 6. c. 3.

Quid hoc aliud eſt, quàm Regum authoritati inſidiari, eamque per cuniculos velle euertere, quam per vim trahit, vt ijs principijs veluti fulcris incūbat, quæ falſa cùm ſint, nullo negotio euertuntur. Neque verò video cur Sereniſſimæ Maieſtati ſuæ tanti eſſe debeat hic titulus *ſupremi capitis Eccleſiæ*, cuius vim omnem noſtri Doctores, cùm Pontificiorū premuntur argumentis, abnegant, queq; conſtat ex occaſione ſcandali plena primùm vſurpatum, idque à Rege, quem non modò Pontificij, ſed noſipſi velut monſtrum quoddam exhorreſcimus: adeo vt (recente quodam hiſtorico authore) *ſi priores tyranni eorumque crudelitatis exempla, memoria penitus excidiſſent, in vno Henrico octauo eiuſque dominatione omnia ad vitam reuocari*. Cur verò ſua Sereniſſima Maieſtas contentioni inſiſtat ab hoc Rege cœptæ, cuius nomen dedecore & infamia ſepultum eſt, & poſteritas in putredinem ac puluerem diſſoluta? præſertim cùm Rex iſte *Henricus* octauus, vt à patris ſui *Henrici* ſeptimi in Eccleſiā Romanā amore diſceſſit, ita etiā ab illa ſingulari beneuolētia, qua ille idem pater ipſius in familiam ſuæ Maieſtatis ferebatur, deſciuerit. Nam non igno-

Raglens in hiſt. mundi in præfat.

ignorat Rex ſapientiſſimus primum illud Eccleſiæ Anglicanæ caput familiam Scotorum à ſucceſſione in Angliæ regnum excludere voluiſſe, beatæque illi' vnionis, qua nunc fruimur, ſpem nobis omnē præſcindere. Quæ Dei benedictio vt perenni ſucceſſione ſuæ Regiæ prolis nobis diuturna floreat, voueo, Deumq; aſſiduè precor, ne adulatorum ſcelere in contentiones minimè neceſſarias propellatur cum illa Eccleſia, cui nemo ſe vnquam oppoſuit, quin vel tandem ſe ſubmiſerit, vel prorſus cum tota ſtirpe ſua interierit. Qua de re ſermo nobis iterum fortaſſis recurret. Atque ex hacten' dictis, ſatis ſuperque conſtare arbitror, hanc *Theodidacti* propoſitionem Reges præter Deum, ſuperiorem neminem, ne quidē in rebus ſpiritualibus habere, qui poſſit eos punire, non eſſe tam firmam, ac ſolidam, vt fundamentum Regiæ poteſtatis ſtatui debeat.

Philanax.

Mihi certè ſcrupulum omnem exemiſti: nec dubito quin vel imprudēter, vel perfidè Regum authoritas ad principia hæc aut falſa aut incerta reuocetur. Cupio iam, vt ad tertiā propoſitionē

venias, quod ſecundum eſt fundamentum ſupremæ poteſtatis à Theodidacto excogitatum, *nec tyrannidem, nec infidelitatem, nec hæreſim, nec apoſtaſiam* ad vinculum obedientiæ Principibus debitæ ſoluendum ſatis eſſe.

Dial. p. 65.

Ariſtobulus.

Si mihi propoſitionem illam in memoriam non reuocaſſes, libenter eam paſſus fuiſſem excidere. Non poſſum enim eorum prudentiam laudare, qui tractatus eiuſmodi de non abrogando Tyrãnis Imperio, ſpeciali facultate ſuę Maieſtatis in lucem prodire vel iubent, vel permittunt. Exiſtimabitne quiſquã hanc infinitam Regum in ſubditos debacchandi licentiam tam acriter propugnandam fuiſſe, ſi non amaretur? aut amari diſputandi tantùm cauſa, non etiam vtendi? Quæ quidem ſuſpiciones vt falſæ ſint, tamen monitum illud prudentis Imperatricis eos meminiſſe oportebat; *Priuatis hominibus ſatis eſſe nihil delinquere: Principem verò, cùm non belluis, ſed hominibus imperet, debere ne ſuſpectum quidem eſſe*, in cauſa præſertim tyrannidis, in qua ſubditi natura duce zelo-

Liuiæ apũ Dionē in Augu.

zelotypi ſunt, ac ſuſpicionibus in peiorē partē facilè mouentur. Quod leuiter negatur, quaſi tacitè conceſſum ſæpe interpretamur. Qui tyrannidem frigidè deteſtatur, eam diligere facilè putabitur. Nonnulla ſcelera non ſine magnis exeerationis indicijs nominari honeſtè poſſunt, aliqua ne nominari quidem vlla ratione debent, quòd verba non ſuppetant, quibus horror exprimatur, quo affici ea narrantem oportet. Hinc illa tragœdiæ lex, ne cruentæ ac barbaræ cędes inducantur in ſcenam, nec ſine multis diris in eorum authores, & grandi iracundia quaſi tumido verſu narrentur:

Indignatur enim priuatis ac propè ſocco
Dignis carminibus narrari ſcena Thyeſtæ.

Cùm igitur hominum animi ſint adeò ſuſpicionibus concipiendis apti, quàm periculoſum cenſendum eſt tractatus authoritate Regia in lucē proferre, in quibus crudelitates omniū immaniſſimæ ſine vllo horrore exprimuntur, imò verò earū authores velut honore ſummaque reuerentia digni repræſentantur, quos nemo non prorſus

expers humanitatis, aliter ſpectare poteſt, quàm vt monſtra ex hominum memoria, nedum conſpectu penitùs exterminanda? Quid hoc aliud eſt, quàm ſuſpiciones ſpargere, quaſi ſua Maieſtas in iſtiuſmodi ſæuiendi licentiam animo afficeretur, cuperetque tyrannidem impunè poſſe regnare. Qua in re Sereniſſimo Principi non leuis fit iniuria, cũ à tyrannide amanda tantùm abſit, quãtum ab exercenda: Cuius erga ſubditos charitatem tantam eſſe mihi perſuadeo, vt eorum ſalutem ſuæ præferat, moriq; mallet, quàm vel ſpectare illa barbaræ crudelitatis exempla, quæ Regum nonnullos olim in ſubditos ſuos edidiſſe accepimus.

Philanax.

Nota ſuæ Maieſtatis clementia, quæ ab effundendo etiam nocẽtium ſanguine ſemper abhorruit, abundè confirmat, quæ dicis. Nec Regum libertatem abſolutamque potentiam ideo ille ſibi propugnandam ſumpſit, quòd veros tyrannos velit impunitos: ſed vt temeritati vulgi occurrat, quod adeo leue eſt & inconſtans, vt ſi vllo prorſus caſu Principibus

pibas reſiſtendi licentia ipſi tribuatur; niſi Principes omnia ad eorum nutum faciant, extemplò legitimam ſubeſſe reſiſtendi cauſam exiſtimabunt.

Ariſtobulus.

Negare non poſſumus hoc eſſe vulgi ingenium: quod profectò declarat quāta ſit Regiæ potentiæ incertitudo, quantumque pendeant à Deo Reges, in cuius ſolius manibus vt corda populi, ſic eorum ſceptra ſunt poſita. Nonnulla permiſit Deus exſtare crudelitatis à populis editæ in ſuos Reges exempla, quò vel inſanam humani generis ambitionem deterreret Regio faſtigio per fas nefaſque inhiantem, vel quò cupidos ſuperboſque Principes etiā in hac vita puniret, vel modeſtos pioſque in officio frequentiore mortis & conſequentis iudicij memoria contineret. Vt enim Reges multò habent plura, quàm vulgus peccandi incitamenta, ita Dei ſapientia eorum licentiæ coërcendæ peculiare quoddam quaſi frænum prouidit, vt præter communia illa, quæ mortalitas ſecum adfert, mortis quotidianæ pericula, particulares cauſas haberent mortē timēdi,

ſeque ad vltimam rationem reddendam impenſiùs comparandi.

Quod verò *Theodidactus* remedium huic malo excogitauit, nimirum vt ſubditorum auribus hæc cantilena frequenter inculcetur eos Regibus obnoxios, perpetuo ſeruitutis nexu obligari, nec poſſe hoc iugo (licèt Reges immaniſſimi Tyranni euadant) vnquam abſolui. hoc (inquam) remedium vereor ne periculum augeat, & malum acceleret potiùs, quàm repellat. Scribit *Seneca* Romę fuiſſe ſuo tempore tantam ſeruorum multitudinem, vt Senatus, cùm edixiſſet, vt certam notam, qua à liberis diſtinguerentur, circumferrent, ſtatim edictū reuocare compulſus fuerit, quod non leue periculum imminere videretur ſi ſerui ſuā multitudinē cū Dominorum paucitate conferrent. Quod factum profectò demonſtrat, cùm ſubditorum numerus ingens ſit, tutum non eſſe hoc ijs, quaſi improperare, quòd ſerui ſint, & ad perferenda omnia laſciuientis in ipſorum ſanguine tyrannidis cruciamenta nati. Primùm enim licèt perſuaderi poſſet fas non eſſe Chriſtiano populo barbaram crudelitatem à ſe per vim repellere, ſed Dei lege obligari, vt quietè iugulum

Refert Lip. de magnit. Rom. l. 1. c. 16.

gulum præbeant; vix tamen offenſæ diuinæ metus tantarum erit virium, vt eos à libertate quærenda coërceat. Nam cùm videant exemplis omnium ſæculorum, libertatem, quæ peccato & rebellione quæritur, quæſitam iam valere & iure propagari, ſatiùs eſſe ducent ſemel peccare, quàm ſemper dura ſeruitute premi & miſeros eſſe. Deinde hæc dogmata populos ad ſeruitutem à natura creatos, quæuis à Principe pati, iure naſcendi, teneri, poſſe Regem nullo repugnante tyrannidem impunè exercere: hæc, inquam, iſtiuſmodi ſunt, vt ad ea credenda, homines libertatis ſuæ à natura nimiùm amantes, nunquam adducentur. Vt populus hæc ferat, victor aliquis ferro & armis effecerit; vt verò ita ſentiat, nullus vnquam Doctor (multò minùs Theodidactus noſter) argumentis euicerit. Nec conſultum exiſtimo his ſermonibus aures populi infici; nec miniſtrum verbi, qui ſuadet obediendum Principibus, debere vnquam ad hæc indigna deſcendere, quæ potiùs indignationem concitent, quàm patientiã promoueant. Nam calamitatis & ſeruitutis perpetuæ ferox ac ſæua cogitatio ad ani-

mos plebis à Regibus auertendos plus poterit, quàm ad eoſdem in officio cõtinendos rationes, quæ ab ipſa natura, à ſacris literis, aut ab hiſtoria ducuntur. Optimum itaque foret, neque populis ius & authoritatem de ſuis Regibus iudicandi tribuere; neque eos tamen deſperatione auxilij, ſi Reges tyranni euadãt. ad ea tentanda, quæ dolor conſilio deſtitutus audet, accendere: ſed ita rem tẽperare, vt nõ penitùs adempta grauiſſimis in malis remedij ſpe, Regum vita & dignitas à populari temeritate, quàm fieri poteſt longiſſimè amoueatur.

Hanc autem moderationem vel nulli adhuc, vel Pontificij mihi videntur maximè attigiſſe, & in hoc negotio periculi pleniſſimo, Scyllam inter & Charybdin medio & æquabili curſu nauigare. Hos quoniam ſibi elegit Theodidactus, in quos incurreret, ego quid ſentiant, breuiter explicabo. Nec dicã quàm ſint vera quæ ſentiunt, ſed quàm Regibus honorifica & ſalutaria: quamque prudẽter excogitauerint inter Regiam libidinem & popularem temeritatẽ, ſaluberrimum temperamentum. Ea certè tribuũt Regib⁹, vt maiora moderatus Princeps ne quidẽ optauerit, nec maiora, ſi ſapit, optare

optare ſe dicet, vel argumentis extorquere conabitur. *Primùm itaque docent* a *Regem ſuperiorem eſſe non ſolùm ſingulis Reip. partibus, ſed & toti Reipublicæ, poſſeque totam Rempub. ſi opus eſt, punire* Doctrinam illam Puritanorum improbant *Populum eandem poteſtatem in Reges habere, quam Reges in ſingulas quaſque perſonas*. Docent etiam Regem, id neceſſitate Reipublicæ poſtulante, poſſe quædam præter leges, libertates ac priuilegia Reipub. & ciuitatum facere, grauiora vectigalia imponere, pœnas infligere præter morem ſeueras, non quidem vt ſuæ planè libidini ſatisfaciat, ſed ob cōmune bonum Reipublicæ. Regis deniq; eſſe iudiciū ferre, quādo neceſſitas hæc requirat, neq; hac in re Regalibus eius priuilegijs limites vllos præſcribendos. Hæc ſententia Regibus amplam poteſtatem tribuit multa præter leges iuſtè faciendi, populumque docet non eſſe Principem facilè tyrannidis damnandum, quamuis ab eo multa dura & acerba patiatur.

a *Molin. de iuſt. & iure tom. 1 tract. 2. diſp. 23. Victor: in relect de poteſt. ciuil. i. Theſes pericl. l 3. c 4. vide Rich. Hallum de neceſſ. & dignit. Regis c. 6. Aquin. 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. Suar. de leg. l 3. c. 35. & alij.*

Secundò docent Reges à legum vinculis liberos eſſe, nec poſſe in iudicium vocari, nec puniri, multò minùs

deponi ob ordinaria crimina, quæque ad ſuas tantùm perſonas attinent, neq; cum multorum iniuria fiunt. Propoſitionē verò hanc Puritanorū deteſtātur: *Iudicum eſt, idque ex diuina lege, Principes corā e ob crimina in iudiciū vocare, eoſque non ſecùs ac alios reos pœnis afficere.* Non poteſt igitur Reſpublica ex Pontificiorū ſententia, Principem ab adminiſtratione remouere, niſi ob ſcelera quædam immania & exorbitantia, quæque ruinam toti Reipub. minantur, neque tum etiā, niſi cùm remedijs omnibus ad eum corrigendum adhibitis, incorrigibilis repertus fuerit.

Theſes peric. l. 1. c. 1.

Hinc apparet, quàm ſit inanis Theodidacti ratiocinatio, qui probare cōtēdit Reges nullo caſu deponi poſſe, eò quod *Saul* immanis tyrannus octoginta quinque Sacerdotum trucidator, Dauidiſque perſecutor acerrimus, ab ipſo Dauide interfectus ac depoſitus non fuerit, cùm in eius poteſtatē deueniſſet. Verùm in hac ratiocinatione neque valet illatio, nullū Tyrannū deponi poſſe, quòd Saul Tyrānus depoſitus non fuerit, cùm non ſit neceſſe deponi omnes; neq; verum eſt ipſum exemplū: Saul enim propriè Tyrannus non fuit: Crudelitas, quæ Tyrā-

p. 66. 67.

num conſtituit, oportet vt pertinax ſit, ſine ſpe quòd ſe non ita multò poſt remittet, & longè lateque diffuſa, quæ totū regnū funditùs euerſura videatur. In neutro verò Saulis ſcelere vtraque hæc crudelitas fuit. Tot innocentum Sacerdotum interfectio publica quidem calamitas fuit; ſed in eo ſcelere Saul pertinax non fuit. Neque enim poſtea, reliquo regni ſui tempore, in Sacerdotes ſæuijt. Odiū in Dauidē perpetuum geſſit & implacabile; tamen hoc ſcelus non ita fuit latè patēs, cùm vnius hominis & comitū ipſi' exitio cōcluderetur. Quoad cætera, *Saul* iuſtitiā adminiſtrabat, & cōmune Reip. bonū propugnabat, pro qua denique fortiter dimicans vitā amiſit.

Tertiò docent, *b* Principes, quāuis manifeſti Tyranni ſint & incorrigibiles, deponi non poſſe populari tumultu, multò minùs interfici, niſi poſt publicā ſententiam, ac ſubditorū ab eorum obedientia iuſtam & iuridicā abſolutionem. Hæc eorū doctrina videtur in Concilio *Conſtantienſi* determinata aduerſus antiquū Ioannis VVicleffi Puritaniſmum, à Ioannis Caluini Sectatorib. hoc ſæculo renouatū; qui docent licitum eſſe ***homini priuato, ſi ſpeciali quodam interno impetu***

b ***Neque verò eo iure, quod ad regnū habet, niſi per publicum iudicium ſpoliari poteſt, hocque decreuit Synodus Cōſtantienſis. Boucher. de iuſta abdicatione. Leſſ. de iuſt. l. 2. c. 9. dub. 4 ſeſſ 15. Theſis peric. l. 1. c. 1.***

ad

ad id ſe moueri ſentiat) Tyrannum occidere. Quare dum reſpublica tyrannum tolerat, nec per publicam ſententiam in ordinem redigit, priuatorum etiam eſt eum tolerare, ei libenter obedire, idque conſcientiæ cauſa. Ita Patres, Chriſtianos hortati ſunt, vt priſcis illis Imperatoribus Eccleſiam tyrannicè perſequentibus obtemperarent. Ita S. *Petrum* (quod Theodidactus vrget) fidelibus Hebræis mandauit, vt *Claudio* truculento ac barbaro Imperatori obedirẽt: in ijs vtiq; quæ iuſtitiæ ac Religioni nõ
p.72.73. aduerſantur, quamdiu à Repub. Princeps
74.75. haberetur. Quis enim exiſtimet S. *Petrum Claudio* obediẽtiam præſtandam dixiſſe, niſi pro tempore, quo veluti Princeps
1. Pet. 2. legitimus imperaret? quis cum aliqua
16.18. probabilitatis ſpecie putet S. *Petro* in animo fuiſſe illam de Imperatorum creandorum & exauctorandorum iure quæſtionẽ inter Imperatorẽ Romanum ac Senatum terminaſſe, & ſecũdùm Imperatorem ſentẽtiã tuliſſe, quòd à Senatu nec creari nec deponi poſſet? & quòd veteri Imperatori depoſito, recens creato Imperatori (ſi quẽ ſuffici cõtingeret), à Chriſtianis nulla obedientia deberetur? Exiſtimare non poſſum optaſſe S.

Pe-

Petrum, vt Chriſtiani eo tempore iſtiuſmodi cogitationibus occuparentur: ſed cuiuis Principi, quem à Repub. in qua verſabātur, publicè toleratum videbant, ſine fuco & ambagibus (conſciētiæ cauſa) obedirent, quādiu ab adminiſtratione non amoueretur. Neq; verò Regum cauſa, quòd deponi non poſſint, ſatis tuto loco eſt, ſi in eodem eſt, quo Imperatorum cùm *c* ſtudioſiſſimi Regū Patroni negare non audeant, quod Imperator quidam ipſemet faſſus eſt: *Iuris Principum imperij eſſe, Imperatorem creare ſimul & deſtituere.* Quamobrem Apoſtolorum ac Patrū exhortationes, quas Theodidactus adeò vehementer vrget, probant Tyrannis dum à Repub. tolerātur obediētiam eſſe præſtandā, non probant eſſe perpetuò tolerandos: nec cōficiunt in ſubditis illum nexū ſeruitutis erga Reges, quæ nulla poſſit Reipub. & Eccleſiæ authoritate diſſolui.

c Apol. pro Reg. c. 4.

Otho 4. apud Naucler. gen. 41. Anno 1212.

Quartò Pontificij requirunt ſentētiā depoſitionis ferri non tantùm à publico Magiſtratu, verùm etiam ab vniuerſis Magiſtratibus & Principibus in Repub. vel ſaltē à multò maiori eorū parte. Hāc verò cauſam dicunt fuiſſe, cur neque

Iulia-

Iulianus Apoſtata, neq; *Cōſtātius* & *Valēs* Arriani Imperatores depoſiti fuerunt: quod Theodidactus vt maximi ponderis argumentū exaggerat, putatq; cauſam fuiſſe, quòd non liceret Principibus hæreticis Eccleſiam perſequentibus repugnare. ſed hoc ipſe non probat, neque probari poteſt. Satis autem conſtat, quod Pontificij dicunt, fieri non potuiſſe, vt tunc temporis ad exequendam Eccleſiæ ſententiam aduerſus hæreticos Imperatores totum Imperium conſpiraret. Nam à *Conſtantino* vſque ad vrbē ab *Alarico* captā, infideles & idololatræ *Romæ*, ac per totum Imperium plurimi erant, quibus grauiſſima quæq; munera, etiam in Senatu, credebantur. Hi verò nullo vel ſuaſu, vel Eccleſiæ mandato adduci potuiſſent, vt Imperatoribus ob hæreſim vel apoſtaſiam à Chriſtiana fide, aduerſarentur. Quòd ſi Catholici depoſitionem reliquo Imperio diſſentiente fuiſſent aggreſſi, non aliud quàm turbas ac ciuilia bella concitaſſent. Neque poterat tūc tēporis ſentētia ſupremi Paſtoris totū Imperiū obligare, cùm nō minima pars Imperij infidelium eſſet, in quos Pontifex ius non habet. Cùm verò Reſp. ſolùm ex Chriſtianis conſtat,

tunc

tunc(inquiunt illi) Principis hæreſis & apoſtaſia, cum Eccleſiæ perſecutione cõiuncta, debet omnibus quàm latè patet Reſpub. diſplicere, ſententia etiam ſpiritualis Paſtoris in Principem hæreticum lata, vt illam omnes ſequantur, poſtulat: ſi verò contingat Rempublicam in partes diſtrahi ac turbas oriri, non hoc ſit vitio cauſæ, quæ ad omnes pertinet; nec ſententiæ, quæ omnes obligat; ſed ipſorum, qui neque zelum habent Religionis, nec Eccleſiæ deferunt obedientiam. Quid ab Orthodoxis Patribus in *Conſtantium* Arrianum ſcriptum ſit, cùm lego, mihi videntur Principibus hæreticis in fidem Catholicam graſſantibus, nihilo quàm nunc ſunt Pontificij æquiores. Eum reprehendunt, b *quòd ea conſpiceret & intelligeret, quæ eum iuberent honorari; quæ verò ſacræ literæ iuberent eum facere, & illa, in quibus ipſum monerent Sacerdotibus obedire, fingeret ſe non noſſe.* Apertis verbis ei ſignificant ſibi non minùs licitum eſſe ipſi reſiſtere, quàm fuit *Machabæis* exercitus *Antiochi* debellare, eumque Iudaico regno pellere. *Dico tibi Conſtanti* (inquit vnus ex hoc numero orthodoxorum Patrum) *ſi*

b *Lucifer de non parcendo in Deum delinquēti fol.* 297. *Reſtiterūt Antiochi ſacrilegio, ſicut nos tibi, Deo præſtitio reſiſtemus. ib. pag.* 250.

fuiſ-

ſes inter manus Mathathiæ iſtius zelant Deum ille te gladio interficeret, ille (inqua *te gladio fuerat interfecturus.* Neſcio an n liberius & audentius, quàm deceat i Principem, hæc dicta eſſe tibi videbun tur. Certè oſtendunt primitiuos hos E piſcopos fuiſſe hæreticorum Principun ſeueriſſimos cenſores; neque, qui cupiū Eccleſiam impunè perſequi, his iudici bus ſe tutò poſſe committere. Cen ſent enim profectò, hæreſim, præſertim ſi ſæuiat in fidē, ſatis iuſtā eſſe Principi deponendi cauſam: neque carere Eccleſi iure ſententiæ in ipſum ferendæ: ſed quoniam ſentētia in *Constantium* totam Rempub. è Paganis Chriſtianiſque mixtam ad concordem executionem ligare non poterat, neq; legitimè executioni mandari, niſi ſupremo aliquo Principe auxilium ferente: Hoc auxilium à *Constante* piiſſimo & Chriſtianiſſimo Imperatore primitiua illa Eccleſia poſtulare non neglexit, qui Catholicos Epiſcopos exules in ſuam fidem ac patrocinium recepit, fratrique ſuo *Constantio* Arriano ſignificauit, niſi illos in ſuas ſedes reſtitueret, *hoſtem ſe illi futurum, nec quicquam niſi bellum exſpectandum.* De *Iuliano* verò Apoſtata quid ſentiant, vix audeo

Socrates l.2.c 18. Theodoret.l.2.c. 8. Sozom. l.3.c.1. Niceph.l. 9.c.21.

audeo dicere;nam cùm ſparſum in vulgus fuiſſet ipſum à Chriſtiano milite & Imperio & vita priuatum, factū Patres, quiſquis fuerit author,ſummoperè laudant,ſtatuuntque *ſiue homo,ſiue Angelus enſem in eo inflixit, diuinæ voluntatis adminiſtrum fuiſſe.* Nec incredibile putant aliqui hiſtorici Chriſtiani hunc tyrannum à milite Chriſtiano fuiſſe interfectum,facinus verò dicunt omni laude dignum; *cùm non ſolùm Pagani,ſed cuiuſcunque religionis homines ad noſtrum vſque ſæculum*(inquiunt Sozomenus & Nicephorus)*ſummis laudibus extulerunt eos,qui cum vitæ diſcrimine, charorum patriæque cauſa,Tyrannos è medio ſuſtulerunt, quantò laudabilius eſt id religionis Deique cauſâ præſtare*:Hæc & huiuſmodi in antiquorū ſcriptis reperiri poſſunt; quæ non ideò affero,quòd probem;imò poſtremū hoc de priuatorum in Imperatores conatib⁹ penitùs damno.Illud contendo,hucque omnis hæc mea tendit oratio,non fuiſſe conſultum permittere Theodidacto in huius argumēti tractatione verſari,quod qui facere velint,& aduerſarios ad hæc teſtimonia producenda cogere;vel parū prudentes ſunt,vel Regum ſaluti(ſpecie defenſionis)inſidiantur.

Theodoret. l. 3. hiſt. c. 20. Nazian. orat. 2. in Iulian. Chryſoſt. orat. de S. Babyla. Sozom. l. 6. c. 2. fortaßis erat, nec incredibile eſt. Niceph l. 10. c. 34.

Quintò

Mutatio regnorũ, quæ non interpoſito ſedis Apoſtolicæ iudicio fit, non legitimè, ſed ſeditioſè fit. Sãder. de viſib. monarch. p. 406. Mol. tom. 1. de iuſt. & iure tract. 2. diſp. 12. Oẽs Catholici Romanũ Pontificẽ pro Chriſti vicario habent, per quem res in tota repub. grauiſſi-

Quintò Pontificij docent Chriſtianã aliquã Rempub. non poſſe contra Chriſtianum ſuum Principem, etiam Tyrannum agere, ſupremo ſuarum animarum Paſtore non conſulto. Hoc non in hæreſi tantùm & apoſtaſia ſtatuunt, cùm Principes his criminibus ſunt obnoxij, ſed etiam cùm tyrannicè bona ſubditorũ ac vitas opprimunt. Depoſitio enim cũ res maximi momenti ſit, grauiſſimam ſanè deliberationem prærequirit. Nec ſatis tutum eſt, cauſam tantam ſoli Reip. credere, ne populus odio, Optimates ambitione commoti, citiùs quàm oporteat Principem eijciant. Quamobrem, mea ſententia, Pontificij ineunt rationẽ longè prudentiſſimam, vitaſque Regum à popularium affectuum temeritate lõgiùs vno gradu remouent, quàm vlla alia religio poſſit. Cùm verò totius humani generis conſenſu comprobatum videatur, aduerſus incorrigibiles penituſque deploratæ crudelitatis tyrannos pro ſalute Reipub. aliquid ſupereſſe remedij, non video quid prudentius ac moderatius ab humana ſapientia potuerit excogitari, quàm, vt populis ſpe remedij non penitùs ademptã, ſalus Principum in tuto collocaretur. Nam vt

Princeps

Princeps licitè deponatur, requirunt in primis manifeſta crimina, quæ nulla poſſint tergiuerſatione excuſari; ſecundò immania quædā ſcelera apertā ruinā toti regno minitātia; tertiò quę cū incorrigibili malitia coniungantur, nullāq; ſpem relinquant emendationis; quartò publicū & vniuerſalem magiſtratuum & optimatum Reip. conſenſum; quintò, quòd res tota ad ſupremum Paſtorem deferatur, & ab eius concilio probetur.

Poſtremò, vt magis adhuc vulgi temeritati obuiam eatur, addunt, Remp. in exequenda ſententia agere debere per modum defenſionis, non per modum punitionis: & in hac ſua defenſione *vti moderamine inculpatæ tutelæ*, vt nihil acerbius in Principem ſtatuant, quod ſuę defenſioni ſit præcisè neceſſarium. Quare cùm Principem depoſuerint, non poſſunt eum cogere ad ſententiam capitis dicendam (quod ô Puritani licere docent) cùm hoc ad reipub. incolumitatem minimè neceſſarium ſit. Imò Regem, quamuis dignitate iuſtè exutum, dicunt tamen ius aliquod remotum ad regnum retinere, quaſi politicum quendam characterem, quo à meris ſubditis diſcer-

me ſemper decidēdæ ſūt. Sander. vbi ſuprà. Reſp non poteſt auferre à Rege poteſtatem conceſſā, vel eam imminuere, aut legitimū vſum illius impedire: ſed ſi tyrannus euadat, poteſt ei reſiſtere ſicut extraneo, qui reip. iniuriam vellet inferre. Molin tom. 1. de iuſt. & iur.

Tract 2. diſp. 23. n.8. O Theſes peric.l. 1. c.4. Card. Peron orat. p.108. 109.

diſcernitur. Hic character facit, quòd depoſito Regi non debeat Regnum denegari, ſi apoſtaſiæ eum pœniteat, ac Rēpub. ſecuram faciat, quod reſtitutus moderatè adminiſtrabit. nec poteſt Reſpub. ei vitam auferendo ſpem reſtitutionis illi eripere.

Philanax.

Ib.p. 29. §.2.

Hæc tua de Pontificiorum moderatione oratio me plurimū recreauit, quòd videam etiam Pontificios incolumitati Principium copioſè cōſuluiſſe. Vt enim Rex legitimè deponatur, tantum tum domeſticorum, tum externorum conſēſum requirunt, vt videatur fieri vix poſſe, vt regnū legitimè amittat Princeps aliquis, qui vel domi vel foris amicos habeat. Nam ſi quæſtio de deponendo Principe à Rep. ortū habeat, vltimā determinationē ad Papam, eiuſque Conciliū pertinere volūt, qui exteri ſunt, nec iniurijs, quib⁹ populares aduerſus Principē immodicè inflāmantur, obnoxij: Si verò Papa Princeps ſit, qui de depoſitione agit, debet ſententia per Optimates Regni tū ſpirituales, tum tēporales executioni mandari, quorum in Princi-

Executio non ad Pontificē pertinet, ſed ad alios Bellarm. aduerſùs Barc. c. 10. Card. Peron. orat. p. 106.

pem

pem amor ſententiæ Pontificis obſiſtet, ſi vel apertè iniuſta ſit, ac in cauſis merè temporalibus fundata, vel *non apertè iuſta*, prout ad rem tanti momenti requiritur. Nec deſunt exempla Catholicorũ regnorũ, quæ aduersùs Pontificem pro ſuis Regibus ſteterunt, quando eum nõ iuſtis criminibus aduerſus Principes, ſed humanis affectibus moueri exiſtimarunt. Illud autem in hiſtorijs, quas euolui, non ſine admiratione animaduerti; Proteſtantes ſententiam Conſiſtorij ſeu Miniſtrorum aduersùs Principem ſuum multò procliuiùs exequi ſolitos, quàm Pontificij cenſuris obtemperauerint, quibus à ſuorum Regum obedientia deterrebantur. Vtinam verò *Theodidactus*, qui tam acriter Pontificios impugnat, ſuam Theſim, Regem ob nullum flagitium ab Imperio amoueri poſſe, ſolidis & inuictis rationibus aſſeruiſſet: ſed iam video non niſi inanem amicitiæ in Reges ſimulationem hanc eſſe, Regumque cauſam leuiculis argumentis non tã ab eo probatam eſſe, quàm proditam.

Requiritur apertè iuſta cauſa ad Regem deponendum.

Bellarm. aduersùs Barcl. p. 108.

Ariſtobulus.

Quàm ſint leuia *Theodidacti* argu-

menta ab vno quod tantoperè vrget ſatis ſuperque diſces, nimirum Tyrannos quāuis acerbiſſimos Religionis hoſtes, à Chriſtianis deponi non poſſe, quòd Chriſtus iuſſerit, vt inimicos, nos etiam perſequentes diligamus Sanè vix risū teneo, cùm eum lego de diligendis inimicis differentem: *Iis*, inquit, *ex animo bene velle*, *& lingua benedicere, & reipſa benefacere oportet. Si iſta,* inquit, *pietatis officia priuato cuilibet ex Seruatoris mādato debemus, multò magis eadem Principibus, Magiſtratibuſque, qui publicam perſonam ſuſtinent, tribuenda ſunt.*

Matth. 5. 44. p. 69.

Hæc ille, multoque plura, quæ probant quantus in hoc grauiſſimo argumento de Regū authoritate nugator ſit. Præceptum enim de inimicis diligendis, ac beneficijs in eos conferendis Tyrannidi impunitatem non adfert, ſed potiùs Reip. Tyrannorum deponendorum neceſſitatem quandam imponit. Nam ſi Tyrannis benefacere debeamus, quod maius beneficium in Tyrannos, qui præcipites ad æternum interitum ruunt, poteſt Chriſtiana charitas conferre, quàm vt eos ab adminiſtratione Reipub. occaſionibuſque peccandi amoueat? Dubium non eſt, quin præcepto charitatis

tene-

teneretur Reſpublica Tyrannorum ſaluti, etiam per eorum depoſitionem cõſulere, ſi iuſtitia permitteret eos, qui ſuperiores non ſunt, beneficia & charitatis officia nolentibus impendere. Hoc autem charitatis officium, cùm iuſtitia prohibeat, non poteſt impio Principi, vi ſceptrum auferri, ſi ad ſuum tantùm exitium eo abutatur, nec ſcelera committat cum totius Reip. pernicie & calamitate coniuncta. *Si verò* (inquit ille Cancellarius Pariſienſis, qui regiæ immunitatis patronus vel maximus habetur) *ſubditos manifeſtè & cum obſtinatione in iniuria & de facto perſequitur Princeps, tunc regula hæc naturalis* vim vi repellere licet *locum habet.* Hæc ille & alia acerbiora, quæ libens omitto: atque hæc ipſa inuitus attigi, nec alia mente, quàm vt patefacerem *Theodidacti* fraudem, qui Regiam poteſtatem dum ornare videri vult, onerat, & prorſus opprimit titulis quibuſdam immenſis & arrogantiæ plenis, qui pondus inuidiæ longe AEtna grauius ſecum ferunt, & Regum capitibus imponunt. Iſtiuſmodi eſt illa quarta *Theodidacti* propoſitio, quam ſumpſimus examinandam, nullum ſcilicet Reipublicæ ſu-

Gerſon 4. fol. 66. Remed. con. adulatores conſid. 7.

ſupereſſe remedium, præter preces & lachrymas, *ſi Rex eò impietatis prolabatur, & inſaniæ, vt Eccleſiam ipſam penitùs*
p. 85. *opprimere conetur, ſanctiſſimumque Chriſtianæ religionis lumē extinguere.* Quo dicto ad conflandam Regibus apud ſubditos inuidiam, quid odioſius fingi poteſt?

Philanax.

Sentio propoſitionis huius vel ipſum ſonum Chriſtianis auribus grauem eſſe; nec in animum inducere poſſum, vt putem iſtiuſmodi pronunciata grata ſuæ Maieſtati fore, qui (vt ego prorſus exiſtimo) ſe millies mallet ſubditorum armis extinctum, quàm vt per ipſum Religionis Chriſtianæ lumen extingueretur. Nec Religioſiſſimo Principi poteſt eſſe accepta eorum veneratio, qui Regiam eius dignitatem cum ſcelere omnium teterrimo cogitatione coniungunt & adorant. Theodidactus autem
Heſter 3. nihil ad hoc paradoxum probandum
13. affert, præter patientiam Iudæorum,
p. 85. cùm eos *Aman* perſequeretur, qui ab *Aſſuero* edictum extorſerat, *vt occiderentur atque delerentur omnes Iudæi à puero vſque*

vſque ad ſenem, paruuli & mulleres vno die. Hic(inquit Theodidactus) *vniuerſa proles Eccleſiæ viſibilis, quæ ſola Iudæorum gente concludebatur, mortis faucibus teneri videbatur. At quid illi: non ſeditionem mouent, non ad arma conuolant, non Aſſuerum aut Amanem veneno tollendi conſilium capiunt, non ad libertatem ſuam vindicandam ſicarios quærunt & parricidas: planctum tantum ingentem, ieiunium & fletum videres.*

Ariſtobulus.

Probabile non eſt, datam fuiſſe *Amano* poteſtatem totam Iudæorum gentem è medio tollendi, ſed eos tantùm, qui procul à Patria per Monarchiæ Perſicæ fines diſperſi viuebant; quos *Aman* cum *Aſſuero* agens *populum* appellat *per omnes regni ipſius prouincias diſperſum & à ſe mutuò ſeparatum*: præter quem florebat in Iudæa Eccleſia. Deinde vbi *Theodidactus* dicit in illa calamitate apud Iudæos planctum, ieiunium & fletum tantùm fuiſſe, particulam (tantùm) addit de ſuo contra expreſſum Dei verbū. Nā præter hæc media diuinam iram placandi, alia nonnulla media in ſacris literis exprimuntur,

Heſter 3.8.

 muntur,

muntur, quibus ad ſalutem ſuam tuendam vſi ſunt. *Aſſuerum* enim ſiniſtris *Amani* ſuggeſtionibus deceptũ per *Heſterem* Reginam in oculis ei⁹ gratioſiſſimam de veritate certiorem reddiderunt, alijs etiam medijs vti parati, ſi priora defeciſſent, vt *Mardochæus* Reginæ Heſter inſinuat; *per aliam*, inquiens, *occaſionem liberabuntur Iudæi*. Neque dubitare fas eſt, quin Iudæi licitè potuerint *Aſſuero* reſiſtere, ſi ad eos exterminandos Iudæam cum exercitu inuaſiſſet. Cur .n. non ijs licuiſſet in Aſſuero facere, quod in anteceſſore illius Cambyſe eorum fecerant Maiores. Cambyſes enim ſi c *Euſebio*, d *Auguſtino*, e *Bedæ*, f *Sulpitio Seuero* alijſque Patribus credimus, fuit ille *Nabuchodonoſor*, qui duce *Holoferne* exercitum in Iudæam miſit, quem diuino planè miraculo profligarunt. Non diſputo, quàm ſit illorum vera ſententia, nec ne, vtrum Nabuchodonoſor fuerit reuerà *Cambyſes* vel Perſarum Imperator; ſufficit doctiſſimos Chriſtianæ antiquitatis Patres hoc cenſuiſſe, ſimulque licitum Iudæis fuiſſe Tyrannos Principes non ſolùm precibus & lachrymis, ſed etiam vi & armis repellere. Quibus verò Patrum ſcriptis non celebrantur

c *In Chronic.* d *l. 18. c. 26.* e *Beda de ſex ætatibus.* f *l. 2 ſacr. hiſt. putat Nabuchodonoſor fuiſſe Ochum.*

tur *Machabæi* , qui *Antiocho* Religionis cauſa eos perſequenti ſtrenuè ſeſe oppoſuerunt, qui tamen legitimus eorũ Princeps erat, eiuſque maiores ſupremã in Iudæos poteſtatem à temporibus *Seleuci* pacificè exercuerant annis centum & quadraginta, à populo Sacerdotibuſque non minùs, quàm Romanorum aut Perſarum Imperatores in Principes admiſſi.

Quòd ſi ad Chriſtiana tempora veniamus, temporalis gladij poteſtas non citiùs ad Chriſtianum Monarcham deuenerat, quàm Eccleſia opem illius aduerſus *Licinium* Imperatorem in Chriſtianos ſæuientem poſtulauit, *Cõſtãtinuſque* ad Chriſtianos Oriẽtis, quos affligebat Licinius, ſe accinxit. *Magnum .n.* (vt inquit Euſebius) *eſſe pietatis & ſanctimoniæ munus credebat, vt per vnius ab Imperio amotionem infinita hominũ multitudo ſeruaretur incolumis.* Nec defuerunt in obtinenda victoria diuina miracula, nec in Cõſtantini comitatu ſanctiſſimi Epiſcopi, qui bellum illud ſua præſentia non honeſtaſſent, ſi nullam rationem fidei Chriſtianæ à perſequentibus Tyrãnis vindicandæ, præter preces ac lachrymas licitam putaſſent. *De vita Conſtantini l. 2 c 3.*

Clodoueus primus Francorum Rex

Chriſtianus quanto in honore apud omnes orbis Catholici Principes ſuit, quòd aduerſus *Alaricum* Arrianum *Hiſpaniæ Regem* bellum geſſerit, qui maximam Gaſconiæ partem Imperio obtinebat: è qua *Clodoueus* Gothos expulit, eorumque Principem in prælio ſua manû interfecit, cùm nulla niſi vnius Religionis cauſa bellandi ſubeſſet.

Greg Turon. hiſt. tract. l. 2. c. 37. Amonius l. 1. de geſt. Franc. c. 20. Niceph. l. 16 c. 26. Eugr. l. 3. c. 7.

Cû *Baſiliſcus* Neſtorianus Imperator ſanctam Chalcedonenſem Synodum damnare moliretur, *Acacius Patriarcha Conſtantinopolit. populum & ordinem Monachorum contra Baſiliſcum, vtpote hæreticum concitauit, & cum illis ſtrenuè Tyranno reſtitit. Et Daniel Monachus, aſſumpta multitudine ad Tyrannum acceſſit, & propalam liberè apud eum de rectis dogmatibus diſſeruit: adeo vt Baſiliſcus motum plebis veritus ab Acacio & Daniele coactꝰ circulares literas abnegauerit.* Non multis poſt annis *Anaſtaſius* Imperator Manichæorû & Arianorû fautor Synodû cõgregauit, Patriarcham Conſtantinopolitanû Chalcedonenſe Concilium damnare voluit. Tum populus *accurrit, & apertè exclamauit, Martyrij tempus adeſſe, nemo longius à Paſtore abſcedat: & conuicia in Imperatorē conicit Manichæum, qui indignus imperio eſſet,*

Conſtant. Maneſſ. annal. p. 80.

eſſet, vocans. Quare videns multitudinem Imperium ipſius detrectare, volens, nolens de impetu audaciaque remiſit. Cùm verò poſtmodum ad impietatem relapſus milites *Hieroſolymas* miſiſſet, vt Catholicos Epiſcopos ſedibus eijcerent, Epiſcopus & Abbates duo *Sabbas* & *Theodoſius* (*quorum virtutes manifeſtæ ſunt, & linguis Eccleſiiſque omnibus celebrantur*) *magna cum fiducia coram Imperatoris Satellitibus & Ducibus eos, qui cum Seuero communionem habebant, anathemati ſubiecerunt, & qui à Seuero & Imperatore miſſi fuerant, facto tumultu ex Eccleſia eiecerũt;* eorumque dux vt vitæ ſuæ conſuleret fugere coactus eſt. Multa huius generis ex antiquitate peti poſſent, quæ videntur probare antiquos Catholicos exiſtimaſſe, quòd tametſi lachrymæ, ſeria pœnitudo, preceſque ad Deum fuſæ optima ſint aduersùs tyrânnos præſtantiſſimaque remedia, quæque paratiorem opem afferant, & ſine quibus alia vix effectum ſortiuntur: tamen adhiberi quoque nonnunquam vim poſſe, cùm id res patitur, potiùs quàm Chriſtianæ religionis lumen extinguatur. Hoc ſaltem conſtat in hanc ſententiam tam multa poſſe exempla Chriſtianæ antiquitatis

Niceph. l. 16. c. 33.

afferri, vt æſtimare non poſſim prudentis eſſe quæſtiones iſtiuſmodi in ſermonem vulgi deducere. AEſtimationem rerum, quæ per ſe pretioſæ ſunt, minuendi, nulla procliuior eſt via, quàm vt cũ alijs, quæ eas immensùm ſuperant, conferant. Hac ratione fit, vt vita mortalis cũ æternitate collata vileſcat, ſtellę pręſente ſole non luceant, flumina quantũuis magna, ſi Oceanum ſpectes, nihil penè eſſe videantur. Regia Maieſtas inter ſuos ſubditos quidã veluti ſol eſt. Hunc ſolem obſcurare ſi quis cupit, illiuſque reuerentiam religioſis ac pijs mentibus demere, illi rationem expeditiſſimam *Theodidactus* demonſtrat, vt ſcilicet Regem fidelitatemque illi debitam, cum Chriſtiana religione & Deo conferat, coram quo vel Angelica puritas tenebræ ſunt, omniſque creata magnitudo in vnum congeſta, roris matutini guttulam cum Oceano collatam nõ repræſentat. Doctus quidã Græcorum hiſtoriographus ſcribit, *non poſſe virũ piũ Imperatorem revereri, cùm ipſa Religionis pietas in diſcrimen adducitur, perſonas non reſpicere, nec potentia ſubnixos formidare.* Authores noſtri excuſationem non leuem putant rebellionum ac tummul-

Conſtant. Manaſſ. annal. p. 80. Theſes perie. c. 6. p. 33.

tuum, quos primi noſtri Euangeliſtæ aduerſus Principes concitarunt, quòd Euangelij luce in oculos eorum vehementer influente non ſatis perſpicere potuerint magnitudinem ac dignitatẽ Papiſticorum Principum, quos è ſuis thronis expulerint. Quid igitur mirum, ſi Pontificij zelo religionis feruentes, ad fidelitatem, quam ab ijs exigimus, hæreãt, cùm apertè ab ijs poſtulamus (quale iuramentum à nobis illi nunquam exegerunt) vt expreſsè iurẽt ſe paſſuros potiùs lumen veræ Chriſtianæ fidei penitùs extingui, quàm Principis hæretici impios conatus vi repellant.

Philanax.

Oſtendiſti quatuor *Theodidacti* propoſitiones nullo fundamento conſiſtere, odioſas eſſe, nec ſinceræ ac debitæ fidelitatis rationem vllam continere. Sed pollicitus es te de Iuramento fidelitatis, quod ſuper his quatuor velùti columnis cõſiſtere docet *Theodidactus*, verba facturũ, & quid de tam ſeuera eius exactione tibi videatur.

Ariſtobulus.

In hunc ſcopum omnis *Theodidacti*

 diſpu-

diſputatio collimat, vt illa noua iurandæ fidelitatis formula approbetur, hocque inuolucro ſuam perfidiam tegere ſe poſſe ſperat. Ego verò exiſtimare non poſſum, præcipuos huius iuramenti authores, quique ſuam Maieſtatem ad illud tanta contentione exigendum inſtigant, magis commune bonum vel Regis ſecuritatem, quàm rem ſuam priuatam præ oculis habere, cùm ij ſint, qui calamitatibus & ærumnis Papiſtarum locupletentur, & exultent. Cùm perditus paucorum Pontificiorum furor Maieſtatem ſuam non immeritò prouocaſſet, aduerſarij qui ex inſidijs opportunitatem ijs nocendi quærebant, Iuramentum excogitarunt & ſuggeſſerunt, quod nunquam mihi perſuaſero ſingulari eius prudentię ac iudicio, niſi in ea perturbatione probandum fuiſſe. Nolo autem ſententiam meam in re tanti momenti, quæque ſuam Excellētiſſimā Maieſtatē tam propè attingit, præcipitare. quinque tantùm tibi, qui Regem amas, ſeriò cōſideranda proponam, quæ ſe mihi ſępenumerò offerunt & in magnam dubitationem adducunt, quomodo hæc tā ſeuera Iuramenti fidelitatis exactio vel cum *conſcientia*, vel cum *politica & prudens*

denti adminiſtratione, vel cũ *clementia*, vel cum *ſuæ Maieſtatis honore*, vel denique *incolumitate* poſſit conſiſtere.

Primùm qua conſcientia poſſumus homines cogere, vt illud iurãdo confirment, quod etiam ſecundùm noſtræ principia Religionis vel falſum vel incertum ſit: Non illi tantùm periuri ſunt, qui quod falſum ſciunt, cum iuramento aſſerunt, ſed illi quoque qui iurant, quod an certum ſit ignorant; quia dum quod falſum eſſe poteſt iuramento confirmant, periculo ſe exponunt, Deum in teſtem falſitatis aduocandi. Quod adeò certum eſt, vt nec etiam profanum Poëtam latuerit:

—ambiguæ ſi fortè citabere teſtis *Iuuenal.*
Incertæque rei, Phalaris licèt imperet vt ſis
Falſus, & admoto dictet periuria lauro,
Summum crede nefas animum præferre pudori.

Quæ Iuramento fidelitatis confirmãtur, eſſe magis certa non poſſunt, quàm principia vnde deducuntur: ſicut muri firmiores eſſe nequeunt, quàm ſint fun-

damēnta, à quibus ſuſtinentur. Iam verò ſi columnas Iuramenti illas ipſas à *Theodidacto* ſubſtructas in memoriam reuoces, incertiſſimas propoſitiones eſſe inuenies; circa quas non Pontificijs tantùm à nobis, ſed noſtri Doctores inter ſe diſſentiunt, vel potiùs falſas eſſe ferè omnes conſentiunt. Videant ergo Proteſtantes, qua conſcientia vel ipſi iurant, vel alios adigunt, vt Iuramento confirment, quæ cùm incertis principijs nitãtur, certa eſſe non poſſunt.

Philanax.

Iuramento confirmare opiniones probabiles, quamuis incertas, Pontificijs non poteſt nouũ videri. *VViddringtonus* .n. alijq; nõnulli Põtificij exiſtimant licitũ eſſe hoc iuramentũ præſtare, quod quãuis incertã, tamen putent probabilem eſſe ſententiam, poſſeque inter Catholicos tolerari, quæ docet Reges à Papa deponi nequaquam poſſe. Horum iurata fides fundamento (vt putant) incerto & tantùm probabili nititur.

Ariſtobulus.

VViddringtonus quique illum ſequũtur, videntur eiuſdẽ eſſe cum *Theodidacto* farinæ, ac Iuramentũ fidelitatis, cui vel maximè fauere ſe ſimulant, tacitè

ſubuer

ſubuertere. Nā vel peierāt, vel Iuramēti vim eludūt. Si rē ipſam iurant, nimirum Pontificē poteſtate carere Reges deponendi, qui probabili tantū ratione & timidè hanc poteſtatē Pontifici negant, peierāt, id. n. iurāt, quod verū ſit an falſum, certò nō ſciunt. Si verò dicant ſe nō ipſam rē iurare Pontificem hac poteſtate carere, ſed tantū, ſe quidē hoc putare, neq; in eo ſe periuros, cū licèt nō certū, tamē probabilē aſsēſum habeāt illius ſētētiæ, quæ Pontificē hoc non poſſe dicit. Hoc inquā ſi dicāt ſe facere & faciāt, periurio quidē vacāt, ſed nullā obligādi vim Iuramēto relinquūt. Si .n. qui probabiliter tantū, nec ſine formidine falſitatis putat Pōtificē non poſſe Reges deponere, Iuramētū ſine periurio præſtare poteſt: ſanè fit, vt Iuramētū probabilem tātū & formidoloſā opinionē in iurante poſtulet; ſi tātū probabilē opinionē, ergo opinionē, quæ adhibito meliori cōſilio mutari poſſit: libertas enim ſētētiā mutandi in aſſenſu probabili neceſſariò inuoluitur, cùm nulla lex exigere poſſit, vt ſpeculatiuus noſter aſſenſus firmior ac certior ſit, quàm ſint rationes & argumenta, quibus ad illum mouetur: quæ ſi mutabilia ſint, aſſenſus etiam

muta-

mutabilis ſit oportet. Qui Pontificem non poſſe Reges deponere tanquam rem fidei iurant, ſi verè iurant, ſine periurio mutare ſententiam nunquam poſſunt: aſſenſus enim fidei firmus eſt, quem non licet mutare: quamobrem, qui iurat ſe Chriſtiana fide aliquid credere, iurat etiam ſe mentem nullo vnquam tempore mutaturum. Qui verò iurat ſe agnoſcere & credere, quòd Pontifex Regē deponere nō poſſit, nihil aliud ſignificās, quā ſe id probabiliter credere, licèt verè iuret, tamē poteſt, cū voluerit, ſentētiā ſine periurio mutare; nā neque iurat expreſsè, nūquā ſe mutaturū ſētētiā, neque aſſenſus, quē profitetur, iſtiuſmodi cōditionis eſt, vt perpetuus & immobilis eſſe debeat. Quòd ſi hæc propoſitio, *Pontifex non habet poteſtatem Regem deponendi* (quę fundamentum eſt reliquarum Iuramēti partium) Iuramento aſſeratur, vt probabilis opinio, quæ re meliùs perpenſa reuocari poſſit; quis non videt totam fidelitatis machinam arbitrio iurantis eſſe permiſſam, & per *VViddringtoni* ſententiam ipſum Iuramenti finem, vt ſua Maieſtas ſecura reddatur, ſubuerti?

Addo etiam, ſi probabili & timido aſſenſu, quòd Pōtifex Regem deponere

non

non poſſit, Iuramento ſatisfaciat, tum ipſum Iuramentum liberam facultatem iuranti relinquit oppoſitam ſententiam in praxi tuta conſcientia ſequendi. Nam communi Theologorum Pontificiorum conſenſu, ex duabus probabilibus ſententijs, quam voluerint in praxi ſequi poſſunt, idque ſine peccato, etiam eam, quam minus probabilem exiſtimant, niſi forſan authores ipſi, qui ſpeculatiuè ſententiam aliquam probant, praxim tamen illius omninò damnent, quod nonnunquam faciunt, tum nimirum, cùm ſpeculatiua illa incertitudo facit, vt praxis apertè cum charitate, religione iuſtitiaue pugnet. Et iſtiuſmodi ſunt exẽpla, quæ in vltimo ſuo libello *VViddringtonus* congerit, vt probet probabilẽ ſententiam non ſemper eſſe in praxi tutam. Nullum tamen adferri poteſt exemplum ſententiæ, cuius & ſpeculatio & praxis probabilis à Doctoribus Pontificijs cenſetur, quam non poſſint tuta cõſcientia ſequi. Tale verò hoc dogma eſt, Pontificem Reges deponere poſſe; quod qui ſpeculatiuè verum cenſent, praxim illius non improbant. Igitur *VViddringtonus*, ſi Iuramento ſanctè & cum fide præſtito poteſt nihilominus abſque per-

iurio contrariam ſententiam (quæ docet Pontificem Reges deponere poſſe) exiſtimare probabilem;poteſt non violato Iuramento iuxta ſuæ Religionis principia etiã eam in praxi ſequi. Quare qui ex hoc tantùm probabili aſſenſu iurant ipſi,& alios iurare docent,aſtutiores quidem ſunt, nihilo tamen ſubditi meliores ijs, qui Iuramentum recuſant.

Quamobrem ſit iſta concluſio,nos vel fruſtra nouum hoc Iuramẽtum offerre, vel homines ad id iurandum,quod tuta conſcientia non poſſunt, adigere. Si tãtum infirmum & probabilẽ aſſenſum requirimus,quid ſecuritatis accreſcit Maieſtati ſuæ,cũ qui iurat,opinionẽ pro libitu mutare poſſit,aut etiam opinione nõ retractata,cõtrariã,quæ Reges deponi poſſe cẽſet,in praxim deducere? Si firmũ & immutabilẽ fidẽ in iurante poſtulamus;qui poteſt eſſe certus aſſẽſ' illi' propoſitionis,cui' principia incerta ſunt? Quã conſciẽtia poſſumus homines cõpellere, vt eam doctrinã tanquam certam iuramento ſtabiliant,quæ theſibus quibuſdam nititur,quæ etiam à noſtris Doctoribus negantur,vel in vtramque partem diſputantur?

Secundum quod tibi conſiderandum

offe-

offero, ſpectat politicum iuramenti finem: is verò eſt, vt qui ſint fideles ſubditi, detegantur. Vereor certè ne ex rigida Iuramenti exactione contrarij nobis effectus metuendi ſint? Nonne enim poteſt fidelis ſubditus Iuramentum recuſare, quod exiſtimet aliquid ad fidem pertinens in eo indirectè negari? Nonne poſſent etiam ij, qui proditionem meditantur, Iuramentum præſtare, nihil veriti periurium ſoli Deo manifeſtum?

Philanax.

Aliam *Theodidacti* propoſitionẽ mihi in memoriam reducis, quæ non leuem admirationem parit; ne quidem immaniſſimos proditores in Iuramento præſtãdo ſimulaturos. *Iuramentum*, inquit, *ſacratiſſimũ vinculi genus eſt, quod arcana quadam Religione & metu diuinitùs incuſſo, ipſa hominũ corda, ſenſuſque intimos tam arctè obſtringit; vt plerique hominum tametſi ad cætera flagitia duri & obfirmati, in eo tamen violando ſummoperè concutiantur, & exhorreſcant.* p. 19. Supponit autem *Theodidactus* etiam Puluerarios illos proditores tam timidæ & teneræ conſcientiæ fuiſſe, vt hoc illis propo ſitum

ſitum Iuramentum nũquam admittere voluiſſent, ſed potius machinationẽ, quam orſi erant, prodere, & inde infert Pontificios, qui Iuramentum peccatum veriti recuſant, eiuſdẽ cum proditoribus illis farinæ & ſententiæ eſſe.

Ariſtobulus.

Hæc *Theodidacti* Theologia, quod fundamentum videtur, in quo tanta hęc in Iuramento exigendo ſeueritas nititur, veris prudentiæ ac ciuilis adminiſtrationis regulis aduerſatur. In primis enim infame læſæ Maieſtatis crimen teneris multorum conſcientijs impingit, laudem verò fidelitatis ijs tribuit, quorũ plurimi Religione vacui ſunt & periuri ſimulatores eſſe facilè poſſunt. Secundò conatur ante ſuæ Maieſtatis oculos velum ponere, eiuſque Cõſiliarios ſopire, ne fraudulentis proditoribus detegendis inuigilẽt, qui prorſus fide & conſtantia carentes Thebani illius dictum ſequuntur, Pueros talis, viros iuramentis decipiendos. Tertiò morem damnat, qui ab omni bene conſtituta Repub. obſeruatur, vt capitis rei iuramento non ſe purget.

Cre-

Credunt enim vitæ conſeruandæ cauſa homines ad periuria eſſe procliues. Qui profectò ſine cauſa timerent, ſi cũ *Theodidacto* ſentirent, *Deum ipſa hominũ corda ſenſuſque intimos tam arctè conſtringere, vt homines ad cætera flagitia duri & obſtinati tamen peccatum periurij exhorreſcant.* S. quidem *Auguſtinus* dicit, *nonnullas impudicas mulieres, quæ non timuerunt illicito concubitu viros ſuos fallere, iiſdem viris, quos feſellerunt, timuiſſe Deum teſtem fallaciter adhibere.* Sed hæ fœminæ fuerunt ſexus timidioris ac paucæ. Quòd ſi Auguſtini temporibus tam tenera cõſcientia adulteræ omnes vel pleræque fuerunt, ſanè magis piæ fuerunt ac timoratæ, quàm ſint noſtrorum temporũ mulieres, quæ torum adulterio violant, inter quas paucas (opinor) reperies, quæ potiùs ſe occidi patiantur, quã coniuges periurio fallãt. Enimuerò carnale peccatũ (ad quod fugitiua voluptate mouẽtur homines) non ita conſcientiã penitùs extirpat, neq; tã cor obdurat, quàm proditoriæ in Regẽ patriãque machinationes: quibus qui mentẽ cõſcientiãq; ſuam ſemel armauit, mirum profectò eſſet, ſi is periurij metu contineretur. Quod autem *Theodidactus* fingit, vt eos, qui iura-

Con. mendac ad Conſent. c. 21.

iuramentum recuſant, odio exponat, tã tenerę fuiſſe cõſcientię phanaticos illos proditores, qui domum parlamentariã exſufflare voluerunt, vt potiùs vitam amiſiſſent, quàm fidem Deo periurio violaſſent, paradoxum mihi videtur, tantamq; ijs fuiſſe pietatem vix amiciſſim⁹ eorum perſuaſerit. Quare qui tam ſunt religioſi & ſtrictæ conſcientię, vt magis periurium, quàm vitæ iacturam exhorreſcant, qui fieri poteſt, vt conſcientiam habeant tam diſſolutam & perditã, quæ vaſtũ illud & immaniſſimum ſcelus capiat, *vniuerſos Regni ordines in ampliſſima Parliamenti domo congregatos, vno ictu pulueris tormentarij diſpergere.* Anacharſis ille Scytha, vir acutus in paucis, Athenienſium leges aranearũ telis ſimiles dixit, quibus muſcæ capiantur, animalia verò maiora eas ſine difficultate perrũpant; ita iuramentum fidelitatis ſcrupuloſas mulierculas & Pontificios teneræ cõſcientię & peccati metuentiores capit & punit; immanes verò proditores, qui ſine ſcrupulo cruentas hominũ ſtrages, & Principũ cædes moliuntur, æquiuocationẽ in iuramento leuiculum peccatũ (comparatiuè hoc dixerim) nullo negotio exſufflabunt. Quòd ſi ſint inter

Papi-

Papiſtas aliqui (ſuadet autem charitas, vt nullos eſſe cẽſeamus) qui tam dira machinentur, non dubito, quin proditores iſti ex eorum numero ſint, qui Iuramẽtum admittunt. Quòd ſi Puritani eadem ſcelera meditari regnique perniciem agitare exiſtimantur, ego certè Puritanos illos immunes à proditionib⁹ auſim dicere, qui cõſciẽtiæ cauſa ne Deũ offendant, iuramentum hoc recuſant, ac ſtatutas pœnas incurrunt, quod intelligo nonnullis eorum eueniſſe. Illi profectò ex Puritanis ſuſpicioni magis obnoxij ſunt, qui teneriores conſcientias ad optima procliues ſpecie pietatis ſeducere laborant; quorum animis hæc maxima penitùs inſedit, *licere pro gloria Euangelij mentiri*, qui odium aduerſus Sereniſſimũ Regem ab ipſo fonte, vtero ſcilicet materno hauſerunt, in quo nondum natum opprimere & ſepelire conati ſunt. Hi Pontificijs e diametro oppoſiti ſunt, quorum amor in Principem ab eadem, qua Princeps ipſe, radice ſurgit, à matre ad filium deriuatus.

Oſiand. in epit. hiſt. cent. 16. p. 796.

Igitur qui conſcientiæ cauſa Iuramẽtum admittere detrectãt, hoc ipſo, quòd ita religioſi ſunt, iuxta regulas prudentiæ ac ciuilis adminiſtrationis maximè

illis

illis fidendum eſſet, deberentque vel maximè Regalis *clementiæ* radijs illuſtrari, quod tertium ex ijs, quæ tibi promiſi, conſideranda obijcere.

Philanax.

Qui Iuramentū recuſant, non intelligo cur ideò in fideliū ſubditorū numero habeantur: imò dum à periurio cauent, videntur affectum aliquem non ſatis erga ſuam Maieſtatem fidelem in animo latentem detegere.

Ariſtobulus.

Qui Iuramentum præſcripta verborū forma præſtare abnuunt, certos nos de ſua in Principem fide faciunt, cùm ſimul ſe paratos offerant, vt iurent ſe ſuæ Maieſtati in omnibus occaſionibus, vel cōtra domeſticas proditiones, aut exterorū inuaſiones adhæſuros, imo Iuramentum illud Toletanum, quod Theodidactus huius noſtri Iuramenti ſummam & ſubſtantiam continere dicit, eadem verborū formula præſtare paratiſſimi ſunt. Quid ampliùs cupimus? vel hoc ſyncere profi-

tentur,

tentur, vel non. Si non, primùm quæro quem locum habet illa *Theodidacti* Theologia, *Deũ ipſa hominum corda ſenſuſque intimos tam arctè obſtringere, vt homines ad cætera flagitia duri & obfirmati, tamen cũ iurant ſimulare non audeant?* Deinde ſi dũ fidelitatem ſponte iurant, ſimulatè & fictè iuraturos putas, cur ijs præſcriptum Iuramentum præſtantibus fidem adhibeas? Si etiam in Iuramento, ad quod vltrò ſe offerunt, ſimulatione vtentur, multò magis id licitè poterunt in eo Iuramento, quod ſub grauibus pœnis obtruditur. Si ſincerè agunt, ſecurus ſit igitur Sereniſſimus Rex: quam enim fidelitatem maiorem deſiderare poſſumus? nunquam enim ſunt vel cõſenſuri domeſticis proditionibus adhibituri, vel exterorum inuaſiones quaſcunque celaturi, multò minùs inuadentibus opem laturi: hocque iuramento confirmabunt. Quomodo poſſunt (inquies) cùm eorum doctrinæ principijs iſta cõſiſtere, qui credunt Pontificem poſſe Regem deponere? Cur ſoliciti ſimus, qua conſcientia id faciant? ſufficit quòd de eorum beneuolentia nobis conſtet, & eos ad id faciendum iuramento teneamus obſtrictos? Curam conſcientiæ

non violandæ ijs relinquamus : cùm ſe
obtulerit occaſio,circumſtantiæ proba
biles ſuggerent rationes, quibus & ſub-
ditorum officium expleant,& ſuæ Reli-
gioni maculam non inferant. Amori nō
deeſt ingenium, vt quem quis amat,ex-
cuſet & crimine liberet.cū itaque de il-
lorum erga Principem ac patriā fide ac
beneuolentia certi ſimus, quid ampliu
quærimus?Et quid ni certi ſimus, cùm
ad id iuramento confirmandum ſe pa
ratos offerunt illi ipſi,quos videm' mo
ri malle, quàm quod falſum putant iu
rare,qua maiorem certitudinem in hac
vita exſpectare non poſſumus.Cùm igi
tur tantum fidei eorum pignus habea
mus,nonne cōmiſeratione dignum eſt,
ijs corda tā ſuō Principi fida nō ſecùs ac
proditorū è viſceribus euelli,nō aliā ob
cauſam, quàm quòd Deū ita timeant,
vt in partes diſſecari malint,quàm rem
quā putāt incertam iurati dicere? Quare
quicquid alij dicant,mihi iurata Ponti-
ficiorum noſtratium beneuolētia ma-
gni æſtimanda videtur,neq; vllorū ma-
gis,quàm eorū, qui nouū hoc iuramētū
recuſant.Nā qui tanto cū ſuo periculo &
dāno ab hoc iuramento abſtinent, pro-
fectò declarant, ſe humanis rationibus
addu-

adduci non poſſe, vt iurent, quod verũ eſſe non credunt, neque vt promittant, niſi quod magna fide præſtare apud animum ſuum penitùs ſtatuerunt. Meritò autem credemus hos, qui mori malunt, quàm fidelitatem iuramento promittere, quam debitam non putãt, vita potiùs excidere velle, quàm fidelitatẽ iuramento præſtitam negligere. Qui Sereniſſimũ Regẽ vrgent, vt tantum amorẽ fideliũ ſubditorum reſpuat, faxit Deus, ne proditorijs eorũ adulationibus eò adducãt, vt tã fidelibus ſubditis aliquando egeat. Hoc hactenus videmus hos adulatores effeciſſe, vt *honorem* ſuum Rex ad Pontificis authoritatẽ hac in re euertendã oppignerauerit; quod quartũ eſt ex ijs, de quibus me dicturũ tibi pollicitus ſum.

Non poſſum enim exiſtimare rem eũ exitum habituram, qui tanti Monarchæ conatus deceat.

Philanax.

Poteſtas Reges pro libitu deponendi, quam Põtifex arrogat, ita eſt odio prouocando opportuna, vt Maieſtati ſuæ timendum non ſit, ne in tam plauſibili cauſa deteriores partes referat.

Ariſtobulus.

Hæc authoritas multis iam annis oppugnata fuit, eiuſque abiurationem grauibus propoſitis pœnis vrſimus. Quid verò effectum? potuiſſetne hæc doctrina firmiores radices egiſſe, quàm egit, dum eam conamur ex hominum animis euellere? Ante turbas has noui Pōtificios nonnullos Doctores eam authoritatē in Pontifice negaſſe; multi qui poteſtatē nō negabant, tamen ad fidē minimè pertinere arbitrabantur. In Gallijs ea videbatur rerū cōditio, vt vix eā poteſtatē palàm defendere Pontificius vllus auderet. Iam verò quem mihi Pontificium Sacerdotem dabis, qui Pontifici hanc poteſtatem neget, aut contrariam ſententiam putet in Eccleſia tolerandam? In Gallijs autem cùm Pōtificia hęc poteſtas nuper abneganda iuramento proponeretur, nonne Clerus Gallicanus omneſq; Galliæ Principes reclamarunt? Cardinalis Peronij oratio cui nō nota? quæ cū fuiſſet edita, quis Pōtificius ſcripto reſtitit? Vidimus ſententiam, quæ Pontifici poteſtatem in Reges abrogat à Gallicis Pontificijs deſertam, ad ſuæ Maieſtatis calamum præſidij cauſa

confu-

confugiſſe. Queruntur Pontificij nos ſtatum quæſtionis inuertere, quò doctrinam eorum odioſiorem reddamus: non enim ſentiunt Pontificem Regē deponere pro libitū poſſe, neque hoc in quæſtionē vocant. Sed hæc quæſtionis inuerſio mihi non tā videtur Pontifici, quā noſtro Euangelio verecunda. Quid enim? qui Romæ flammas nos iniecturos, Pontificem de ſede eiectum pedibus conculcaturos minati fuimus, eòne iam ex tanta arrogantia decidimus, vt diſputemus, vtrum Reges ad libitum Pontificis coronas debeant deponere? Sanè ſi Pontifex Principes hæreticos regno ſpoliandi vellet ſuo iure cedere, ſic comparati videmur, vt à reliqua Pontificia doctrina non multùm abhorreamus. Mihi verò nuperam à Rege noſtro Henrico octauo cum Pontifice cœptam cōtentionē mecum animo verſanti, non diſſimilem euentum ſortita videtur, quā vetus illud bellū, quod Carthaginenſes olim aduerſus Romanos *Hannibale* ducē geſſerunt. Primo quidē impetu victores fuerant Carthaginenſes, maximāq; Italiæ partē Romanis eripuerunt, coëgeruntq; domū redactos pro mœnib⁹ Vrbis Romæ dimicare. Paulò pòſt mu-

tata fortuna eſt in Africā Carthagineſes repulſi, ibi bello laceſſiti, vix ſuam Carthaginem à ruina & incendio ſeruarunt. Reges noſtri primo quidem conflictu de ſuprema in ſpiritualibus poteſtate cum Pontifice, hoc eſt, de Roma ipſa contendebant: multi Pontificij etiam Epiſcopi, à Rege ſtabant; adeò vt de mitra ſua Pontifex periclitari videretur: cū verò diligentiùs & penitiùs in rem totā eſſet inquiſitum, Rex cauſa cadere cœpit, Pontifex exurgere, ita vt non ſolùm iam à Pontificijs regius ille primatus in ſpiritualibus vnanimi conſenſione explodatur, ſed etiam Puritanis diſpliceat, ipſi Proteſtantes (quantum audent) anguſtiorem indies faciant. Pontifex igitur de ſuprema ſua poteſtate certus, ius Reges exauctorandi, cùm id neceſſitas Religionis poſtulauerit, ſibi vendicat: quis autem non videt Pontificem etiam hac in contentione indies fieri robuſtiorem? Si nos hanc authoritatem tanto impetu oppugnandam non ſumpſiſſemus; ſi tot aduerſus eam libri leuibus argumentis referti, à Pontificijs magna ſpecie veritatis confutati in lucem non prodijſſent, ſi Pontificij Sacerdotes vitam, laici bona hanc ob cauſam non a-

miſiſ-

miſiſſent;hæc doctrina minùs apud illos examinata eſſet, aut ſaltem intra ſcholaſticos tantùm parietes longè à vulgi auribus agitaretur. At nunc perſecutio Pontificiorum aſſertionē hanc celebrē reddidit, vt in obliuionē venire vix vnquā poſſit, sâguiſq; fuſ⁹ eā plurimorū animis altè impreſſit;imò Sacerdotū grauitate vitæ & doctrina præſtantiū mors effecit, vt nōnulli Proteſtātes, qui erāt ab hac Pontificia ſententia priùs maximè auerſi, nunc illam oculis æquioribus intueantur:

Per arma, per cædes, ab ipſo
Sumit opes animumque ferro.

Et hæc ferè perpetua eſt Pontificiorū in controuerſijs ratio, curſui Euangelij noſtri, planè contraria. Lumen enim Euangelij noſtri primis illis temporibus glorioſiſſimè fulgebat; nihil erat inter Euangelij prædicatores diſcordiarum; zelum in hominum animis mirum incendebant, ita vt *nimijs lucis Euangelicæ fulgoribus perſtricti* (vt inquit quidam) *quid agerent, non conſiderarent, ſed nouæ fidei feruore ardentibus, bona, fundi, liberi, coniuges, ipſæque vita non admodum chara videbantur.* Decurſu temporis lux hæc obſcuriùs fulgere, doctrinaque minùs certa videri cœpit, *Theſes peric. p. 33.*

in partes ac ſectas Euangelici diuiſi sũt, zeluſque ille deferbuit, ita vt (cùm ſæpenumerò ab vno extremo ad aliud oppoſitum cadere procliue ſit) timendum videatur, ne à tanto Euangelij feruore in eas tenebras noſtri veniãt, vt de nulla Religione admodum ſoliciti ſint. Põtificij verò, cùm de re quapiam fidei oritur quæſtio, cauti ſunt in primis, ne quid temerè, tanquã fidei dogma definiant, ferè initio inter eos opiniones Doctorum variæ ſunt. Quò magis autẽ literæ ſacræ, Patres, Concilia, antiquitatis teſtimonia, rationeſque expenduntur, eò magis ad vnitatẽ & conſenſum deuenitur, eò firmiores in percepta veritate fiunt, ac indies feruentiores, ita vt pro ea vitam etiam libenter impendãt: Sic Pontificia omnia noſtris contraria ſunt, illi initio dubij deinceps confirmãtur, nos initio certiſſimi paulatim dubitamus. Hãc in aſſerenda poteſtate Põtificis rationem tenuerunt principio enim, neq; tã certa habebatur, nec ita paſſim feruenterque defendebatur hæc poteſtas, quàm nunc defenditur, ac indies acriùs defendetur, niſi quæſtiones hæ ab examinatione vulgi remoueantur, quod fieri non poteſt, quamdiu homines

mines ad hanc eiurandam Pontificis poteſtatem coguntur. Nam quibus iurare incumbit, debent (ne periuri fiant) in rei veritatem inquirere, libros de ea tractãtes euoluere, in quibus fiunt indies in ſua ſententia firmiores. Sanè vulgaris hæc de Regum & pontificum authoritate diſceptatio, ſi nihil aliud incommodi afferret, tamen ad controuerſiæ huius examinationem à vulgo amouendam Regum amicos mouere per ſe debet hoc vnum, quòd verba deponẽdi & occidendi Chriſtum Domini, quæ nullibi niſi in ipſa ſtuporis & horroris abyſſo ſepulta, exſtare deberent, per diſputationes populares fiunt familiaria; nam *pudor rerum* (vt inquit Seneca) *per verba dediſcitur*, remque ipſam animus minùs exhorreſcit, quando voci auris aſſueuit. Hoc autem fortaſſis in cauſa eſt, quòd illa regna, vbi contra Regicidas vulgò & in popinis diſputari acerrimè ſolet, fuerint nuper Regicidijs contaminata: è contra verò alia regna, vbi de tyrannicidijs iſta contentio à vulgi ſermonibus remota manet, nullum tale viderunt exemplum, neque Regibus vllum imminet periculum, ſed pacata omnia videmus & quieta.

 Phila-

Philanax.

Fateor me longè alium euentum exſpectaſſe, cùm ſuſceptæ huius cõtẽtionis circumſtantias expenderem. Videbam enim impugnari doctrinam Principibus ingratã, non adeò explicitè & ſine controuerſia in Pontificiorum Eccleſia definitam, à nõnullis ſcriptoribus, qui pro Pontificijs haberi volunt, in dubiũ vocatam; oppugnari aũt & calamo & gladio à Monarcha potentiſſimo, doctrinæ laude præſtanti, etiam principibus põtificijs charo; oppugnari verò tempore ipſis alieniſſimo, cùm cauſa quodammodo præiudicata eſſet per pulueraríam coniurationem, quæ doctrinæ huius portus iactabatur; ita, vt vel acerrimi Pontificis propugnatores trepidare viderentur. Hæc, inquam, perpendens videbar mihi vidêre cauſam Pontificiam in magnum diſcrimen adductam: ac fore, vt ſua Maieſtas totam Eccleſiã etiam Pontificiam ab aſſerenda hac Pontificis in Reges poteſtate auerteret. Quam parum autem noſtræ expectationi euẽtꝰ reſpõderit, videmus, tuq; planũ feciſti. Cuperẽ certè contentionẽ hãc vltrò non progredi, ſed ſilentio ſepeliri, ne poſte-

poſteri dicant Romanam Eccleſiam, ex ſuæ Maieſtatis oppugnatione, creuiſſe; hanc Pontificis authoritatem, victoria de Rege noſtro parta, triumphaſſe; illud dogma, quod non ita exploratū & certū apud eos habebatur, Martyrum (ſub Iacobo paſſorum) ſanguine certum notumque redditum eſſe. Hac aūt controuerſia ſopita atque omiſſa, fortaſſis pax plena atque integra nobiſcum cum Romana Eccleſia ſequeretur. Nam ſæpe viros doctos aſſerentes audiui, controuerſias noſtras (quoad cætera) ſic eſſe diſcuſſas mutuaque ceſſione eo deductas, vt facilè componi pax poſſet, ſi (depoſitis vtrimque odijs) tranquillè inter nos de pace ageretur.

Ariſtobulus.

Plurimùm optanda foret hæc pax: nec tutum exiſtimo cum Romana ſede contentiones non neceſſarias exercere. Atq; hoc eſt quintū & vltimū, quod etiam atque etiam cōſideres velim, neque mireris hoc cōſiliū à me ſuggeri, quem noſti nō eſſe Religioni Papiſticæ addictū. Infœlices n. Regū ac Principū exitus cum illa ſede cōtēdētium, fidos Cōſiliarios mouere poſſunt, quāuis Papiſtæ

non ſint, vt nunquã (ſi fieri poſſit) Principes ſuos iſtiuſmodi litibus implicẽt. *Achior* Ammonitarũ Princeps experiẽtia ipſa edoct⁹, *Holofernẽ* docuit, nõ potuiſſe Iudæos, niſi recẽns peccaſſent in Deum ſuum, viribus & armis eius ſubiugari, tandẽ ipſum cum dedecore repellendũ, non tamen *Achior* Iudæorum Religionẽ ſequebatur. Nõ diſſimile conſilium *Amano* conſiliarij Ethnici dederunt, vt ab illa cum Mardochæo Iudæo contentione, *Si de ſemine Iudæorũ* (inquiunt) *eſt, ante quem cadere cœpiſti*, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius. *Octauianus* & *Antonius* adhuc iuuenes cùm luſu ſe pariter exercerent, *Octauianus* ſemper ſuperior fuiſſe ſcribitur; quamobrem prudẽs *Antonij* amicus *Antonium* admonuit, vt Octauiani genium vereretur, nec vnquam cum ipſo bello contenderet, cuius Conſilij ſpreti ſerò pœnituit Antonium.

Iudith c. 5.

Eſther c. 6.

Plutarch. de fortuna Romanorum.

Quæ cauſa ſit huiuſce rei quis nouit? Experiẽtia certè annorum plus mille & ſexcentorũ nos docet fatũ illius cędis ac felicitatẽ hanc eſſe patientia vincere, & qui aduersãtur vel ſubijcere vel euertere. Imperatores Romani trecentis annis.

Chriſti

Chriſti fidem immaniter oppugnarunt, præcipuè verò Romanam ſedē, ita vt triginta illius Epiſcopi Martyrio affecti ſint. Imò *Tyrannus* quidam ex illis(inquit S.*Cyprianus*) *multò patientius & tolerabilius audiuit, leuari aduersùs ſe æmulum Principem, quàm conſtitui* Romæ *æmulum Sacerdotem.* Quo ſucceſſu? Trecentis iſtis annis vix vnum Imperatorem, qui Pontificem perſecutus eſt, nomines, qui ad tertium hæredem Imperium propagauerit, vel miſera morte non interierit. Tandem Conſtantinus eorum ſucceſſor Imperium Romani Pontificis obedientiæ ſubmiſit; in quā qui eum ſecuti ſunt Imperatores perſeuerarūt. Pòſt Chriſtiani Imperatores de priuilegijs & immunitatibus Cleri cum Eccleſia contendere cœperunt, Valentinianus præſertim tertius, & qui ſunt eū ſecuti Occidentis Imperatores. Quid tandē? horū tēporib⁹ cœpit Occidentis Imperiū ruere; *Franci Gallias, Saxones Britanniam, VVandali Africam, Viſigothi Hiſpanias, Gothi Italiam* occuparunt, qui paulò pòſt Chriſtiani facti ſua Regna Pontifici Romano ſubiecerunt, profeſſi ſe coronas ſuas & authoritatem à Chriſto per eum obtinere. Quis ignorat quāta arrogātia O- ep.52.

rientis Imperatores & Patriarchæ Conſtantinopolitani Pontificem Romanum ſæculis multis vexarint?donec tandem in miſeram Turcarum ſeruitutem traditi à Deo ſunt, ſub qua ſine ſpe redemptionis etiamnum gemunt.

Quo verò ſucceſſu Germani Cæſares (vt alia omittã plurima exẽpla) cũ Põtifice de Epiſcoporũ per baculũ & annulũ inueſtitura decertarunt; Henricus quartus à Gregorio ſeptimo hanc ob cauſam excõmunicatus ac depoſitus, ſecũdis quidem rebus ad tẽpus vſus eſt, quod in ſuo Dialogo Theodidact⁹ quidẽ adfert, quò Principes ad eius exẽplũ ſequendũ animet, id verò tacet, tandẽ (in pœnam rebellionis aduerſus Patrẽ ſuũ ſpiritualẽ, vt exiſtimant Põtificij) à filio ſuo depoſitum fuiſſe, & in carcerem coniectum. Vnde cùm euaſiſſet, vireſq; collegiſſet, profligatus & ad eam inopiam redactus eſt, vt qui multis annis sũmũ Chriſtianorũ Sacerdotem crudeliter vexaſſet, petierit in Sacriſtã cuiuſdam templi, quò Miſſis inſeruiret, admitti: quod muneris cùm negatũ ipſi fuiſſet, conuerſus ad aſtãtes ſuſpirãs dixit, *Miſeremini mei ſaltẽ vos amici mei, quia manus Domini tetigit*

Sigon. de Regno I-

git me, plenuſque miſeriorum, pœnitentia & ingen i dolore confectus eſt mortuus, mortiſque nuncium communi Chriſtianorum omnium gaudio exceptum. Filius autē, qui veſtigijs paternæ inobedientiæ tantiſper inſtitit, tandem ceſſit ius illud inueſtituræ Romano Epiſcopo, quo ad hunc vſque diem gaudet. Qua in re non ſolùm fortuna Pontificum, qui potentiſſimum aduerſarium, qui plura bella geſſit, quàm *Iulius* ipſe *Cæſar*, ſuperarunt, admiranda eſt, ſed multò etiam magis animi ipſorum inuicta conſtantia. Neque verò prudens quiſpiam *Theodidacto* credat, qui è *Sigeberto* Monacho partibus Imperatoris nimis addicto, narrat *Hildebrandi* pœnitentiam. quinquaginta enim hiſtoricos Sigeberto contrarios pōtificij producunt, de quorū fide dubitari non poteſt, qui teſtantur hunc Pontificē inſigni cū conſtantia vitā finiuiſſe, his verbis vſum: *Quia dilexi iuſtitiam & iniquitatem odio habui, in exilio morior. Vrbanus* autem, qui *Gregorio* & in munere Pontificio, & in zelo iura libertatemque Eccleſiaſticam aduerſus Imperatorem propugnandi ſucceſſit, cùm ex *Italia* ab Imperatore pulſus in *Gallias*, Galliarum Regis præſi-

talia l. 9. in Henrico 3.

præſidio egeret, tamen ab humano timore liber adeò fuit, vt eo ipſo tēpore Philippum *Galliarum* Regem excōmunicauerit, quòd pulſa legitima coniuge in aperto inceſtu viueret. *Philippus* (inquit magnæ fidei hiſtoricus.) *per legatos minabatur, niſi Vrbanus ei coronam & vsū ſacrorum reſtitueret, ſe cū regno ab eius & Romanæ Eccleſiæ obſequio diſceſſurum. Ne hoc quidem virum ſanctiſsimum inflexit. Regem eiſi inuitum reſipiſcere oportuit, neque enim aliter anathemate liberari poterat. pluſque virium Religio, quàm ſceptrum & diadema & inuictum Regis nomen maieſtaſque habuit.* Hæc Romani Pontificis aduerſus omnes aduerſarios inuicta cōſtantia & ſemper victrix fortuna iuſtā Regibus cauſam præbent, vt non neceſſarias cum ipſo contentiones fugiant, nec nouas fidelitatis iurandæ formas excogitent, quibus illi bellum indicant. Hocque vltimum ſit, quod tibi, *qui Regem amas*, conſiderandum relinquo. & hunc ſermonem omnem abſoluo, Deū enixè precatus, vt qui regiam in Magna Britannia noſtra poteſtatem ab apertis hoſtibus ſæpe defendit, nunc etiam defendere velit à proditorijs machinationibus & libellis, qui ſpecie amicitiæ eam conantur euertere.

Papyrius Maſſonius annal. Franc. l. 3. in Philip.

Phila-

Philanax.

Lætor Ariſtobule, nos in hunc ſermonem incidiſſe, quo Theodidacti fraudulenta aduerſus Regiam poteſtatem conſilia perſpicuè detexiſti. Hunc librũ qui euulgant, præterquam quòd inſidiãtur Regiæ authoritati, ſuo etiam lucro videntur conſuluiſſe. Nam cùm libellus ſex aſſibus væneat, qui duorum aſſium pretij non eſt, cũq; omnibus in domibus haberi vnus ex publico mandato debeat, pueriſque & puellis in ſcholis & publicis & priuatis prælegi, neceſſe eſt ingentem pecuniæ ſummam annuatim colligi, tantamque, quæ longè ſuperet tributum illud, quod denarium S. Petri dictum olim in Anglia Papæ domeſticatim pendebatur. Hos autem hac ratione diteſcere non ita moleſtè fero: illud doleo, tot inuidioſa nulloque fundamento nixa de Regum infinita poteſtate pueris ediſcenda propinari, quæ teneris eorum animis horrorem potiùs Regum, quàm amorem ingenerent, qui cùm grandiores fuerint, facilè data occaſione in odium conuertatur. Sed de his iam ſatis. Itaque etiam in tuo voto ipſe finiam, & Sereniſſimam Ma-

ieſtatem

ieſtatem ſuam, maximæque ſpei Principem, quò ab his inſidiatoribus caueat, Deo continuis precibus commendare non deſinam.

FINIS.

EPILOGVS AD LECTOREM.

TRactatus hic (beneuole Lector) ſcriptus videtur à Proteſtante Anglo aduersùs Puritanos, qui Regiam poteſtatem periculoſis quibuſdam & odioſis diſputationibus implicant. Enimuero cùm de re grauiſſima modeſtè & temperatè differat, rationeſq; adferat ſolidas, & à Catholica doctrina minimè abhorrentes: reipſa oſtendit ſe vel opinione Catholicum fuiſſe, vel ſaltem Doctrinæ Catholicæ intelligentem, licèt modeſtiæ cauſa (& quò veritas ipſis Proteſtantibus minùs ingrata foret) pro Proteſtante ſe in hoc opuſculo gerat. Et quamuis (vt perſonæ, quam ſuſtinet, decorum ſeruet) Catholicorum argumenta alicubi non ſatis vrgeat, alibi prætermittat, tamen inſtitutum ſuum eſſe planè demonſtrat, oſten-

oſtendere, malè conſultum fore rebus humanis, ſi (poſthabitis firmiſsimis & certiſsimis fundamētis, quibus ſub Catholica diſciplina tot iam ſæculis ſacroſancta Regum auctoritas innixa, ſtetit & floruit) nunc tandem, Nouatorum quorundam figmētis & paralogiſmis, dū in cœlum extolli videtur, reuera labefactetur & ruat: quod quidē prioris dialogi auctores contendūt. Quare operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi tractatum hunc ab ijs, quæ vel Catholicorum vel aliorum aures lædere poſſent expurgatum, conſignarem typis: vt reliqua ſcitu digna, & quæ omnibus vſui eſſe poſſunt, ab omnibus etiam poſſent citra offenſionē legi. Inſcriptionem verò DEVS & REX, *quo prior dialogus inſignitus eſt, mutare non eſt viſum; quòd Catholicā de Regum auctoritate & ſubditorum fide ſententiam duobus verbis breuiſsimè contineat, & luculentiſsimè ab alijs ſectis diſcernat.*

Tres enim (vt hic ipſe tractatus inſinuat) hac de re in Anglia hodie vigent

gent ſententiæ: Prima *Puritanorum, qui* Deum *cupiunt* ſine Rege: *Id eſt, vel nullum omninò volunt Regem, vel illum, qui pendeat à populi nutu: quem viciſſim pro libidine ſua, regant ipſorũ Conſiſtoriani, quorum audaciam, & perfidiam Sereniſſimus* IACOBVS *Rex ſatis ſuperquê olim in Scotia expertus eſt. &* Βασιλικῷ *ſuo* δώρῳ *ſugillat.*

Secunda eſt Politicorum: *qui nullam prorsùs fidem habent, niſi quam ipſis Parlamentaria decreta inſpirant: Hi quidem* Regem *cupiunt, ſed* ſine Deo: *Quippe qui docent, Regi obedientiam negandam non eſſe, etiamſi iura omnia euertat,* ipſumque Chriſtianæ Religionis ſanctiſsimũ lumen *(vt Theodidacti verbis vtar)* conetur extinguere.

Tertia demum Catholicorum *sẽtentia eſt: qui* Deum & Regem *cupiunt. Primo quidem loco Deum venerantur, tum Regem, cui fidelitatem ſubiectionemquê omnem tribuendam censẽt, qua ſalua Religione ac ſine Dei*

Opt.

Opt. Max. offenſa, Regibus tribui poteſt. Et hoc eſt (*iuxta Chriſti Domini præceptum*) reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quę Dei ſunt Deo. *Vale Lector, & boni conſule. Lugd. Batt. Idibus Nouembris,* 1618.

Tuus in Domino

THEODORVS van Eten

D. V. I

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA